AD

XENIUM THEOLOGICUM

EXIMII PATRIS

PRANCISCI FARVACQUES

Ord. Erem: S. Augustini S. Theologiæ Doctoris

RESPONSIO


AUTHORE


MAXIMILIANO LE DENT

WINOCIBERGENSI,

Societatis JESU S.Theol.Professore

LOVANII.





MECHLINIÆ,

Typis GISBERTI LINTSII Sub Signo Typographiæ 1668.

Cum gratia & Privilegio Regis.

AD XENIUM THEOLOGICUM RESPONSIO.

PRO ATTRITIONE

CAPUT PRIMUM.

Respondetur replicis & additamentis, quibus sua argumenta stabilire nititur Auctor Xenii.

PLurima ex Tridentino argumenta contra nostram sententiam deprompserat Exim. P. Farvacques, quorum aliqua nihil omnino concludere, adeo erat manifestum, ut apud intelligentes refutatione minimè egerent, & hæc ipsa nullitatis convici. Resumpsit nihilominus hîc rursus omnia eo, quo prius, ordine stabilienda. Quid ad singula novi adferat, videamus.

§. I.

Primum Argumentum.

AD *Pœnitentiam, quam agi oportet à baptizandis, requiritur, ut Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant. Ergo illud ipsum requiritur in Sacramento Pœnitentiæ.*

Addit: *Hoc argumento nihil clarius esse testatur Vivaldus* in Candel. Aureo num. 7. de Attrit:

1. Verùm cum Vivaldus eodem num: post relatam primo loco nostram sententiam, ac dein suam, subjungat: *Quæ harum opinionum sit vera, difficile est judicare.... Sed* (SVB CORRECTIONE S. ECCLESIÆ, *Judicioque meliori) licet pro prima opinione* TOT TAM GRAVESQVE SINT AVCTORES; *secunda opinio mihi placet.* Fatetur ibidem se eo modo intelligere Tridentinum, quo nullus ante ipsum intellexit. Ex quibus judicet lector, quàm certam Vivaldus esse duxerit suam sententiam ac argumentum. Verùm de hoc rursus infra cap. 5. §. 2.

Primum hoc argumentum fundatur in verbis Tridentini sess. 6. cap. 6. ubi post dispositiones ad justificationem additur: *Deumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod ac detestationem, hoc est per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet.*

Ad quæ Tridentini verba tres attuli variorum Auctorum explicationes, singulas in Xenio refutare conatur.

Respondetur ad ea, quæ adfert contra 1. *explicationem.*

PRoposui primo loco, aliquos illud *diligere incipiunt* intelligere de amore concupiscentiæ: Ita intelligit Vasquez, Sylvius suppl. q. 5. art. 1. ad arg. 6. in ultima editione, & præter hos alii. Addidi hanc explicationem non refutari efficaciter à P. Farvacques, eamque valde probabilem esse, præsertim si dicatur Synodus loqui de amore, abstrahendo ab amore amicitiæ & concupiscentiæ.

2. Contra hæc opponit in Xenio; si hæc explicatio non est efficaciter refutata, cur nihil responsi dederim ad ea, quæ ex Suarez aliisque contra illam explicationem protulit in Quæst: Quodlib.

Mirum est Auctorem Xenii, cum in hujus præfatione non ita probet, quod testimoniis ab Exim. P. Lupo objectis responderim; hic è contra conqueri, quòd ad aliqua ex Quæst. Quodlib. nihil dederim responsi, fortè putavit hæc sua esse magis urgentia; ut autem appareat quanti ea sint momenti.

Resp. 1. Perperam hic adferri Patrem Suarez, nam illo loco, nempe 3. part. Disp. 4. sect. 8. explicationem dictorum verborum Tridentini de amore tam concupiscentiæ, quàm amicitiæ admittit esse probabilem, licet censeat probabilius esse, quod Tridentinum illic agat de solo amore per se justificante. In quo igitur à nobis dissentit Suarez, qui eamdem explicationem dicimus probabilem? aut quid ipse præsidii habet ex illo Auctore?

3. Resp. 2. ad reliqua testimonia: quòd quædam ex illis tantùm probent illic agi de amore amicitiæ, sive interim simul agatur de amore concupiscentiæ, sive non. Hi rursus extra rem contra datam responsionem objiciuntur, in qua fatemur agi de amore amicitiæ, licet non solo. In aliis vero testimoniis, ut D. Thomæ, Catechismi Romani, & Concilii Moguntini, solummodo enumerantur gradus seu actus diversi ad pœnitentiæ virtutem concurrentes, & ultimo loco tamquam præstantissimus pœnitentiæ actus recensetur charitas. Hinc numquam legitimè inferes; ergo quando Tridentinum dicit *diligere incipiunt* &c. non rectè in-

telligitur de amore sive concupiscentię, sive amicitiæ. Addo, cum D. Thomas & Catechismus Romanus, dum post cęteros actus enumerant charitatem, per hanc intelligant eam, quę vi sua justificat, seu Contritionē prout opponitur Attritioni, ut ostendi in Respons. ad Epistolam Famil. num. 121. & 230. Si velis Tridentinum illo cap. 6. loqui eodem sensu quo illi, sequetur, verba illa, *diligere incipiunt*, sumenda pro amore perfecto, seu Contritione prout Attritioni opponitur, quod nobis favebit.

4 Objicit præterea: Philosophicum illud commentum de abstractione ab amore amicitię & concupiscentię, est glossema merè excogitatum, ad declinandam vim argumenti, neque ullum habet in Tridentino fundamentum.

Resp. etiam ab Auctore Xenii admitti debere abstractionem in illis verbis Tridentini. Primò enim dicere nequit, quòd agatur de illo solo amore, qui reperitur in Contritione perfecta; hoc enim admisso planè corruit ipsius argumentum ex dicto cap. 6. petitum; ex eo enim quòd Synodus inter dispositiones ponat actum charitatis perfectum, & se solo justificantem, perperam inferes in actu, qui cum Sacramento sufficit, requiri amorem amicitiæ, nisi fatearis cum Sacramento requiri Contritionem perfectam.

5. Neque etiam dicere potest, quòd *diligere* intelligatur de solo amore imperfecto, quem in Attritione requirit: nam, ut fatetur Auctor Xenii, mens Concilii hoc loco fuit proscribere dogma hæreticorum dicentium, quòd homo Deum diligere nequeat, nisi priùs per fidem facta sit reconciliatio; sive quòd dilectio non sit dispositio ad justificationem, neque hanc per dilectionem mereamur. Hæretici autem æquè id negabant de amore, seu Contritione perfecta, imò de hac præcipuè. Si ergo per hæc verba *diligere incipiunt*, voluerit Synodus hunc hæreticorum errorem damnare, debuit per *diligere* æquè vel potius intelligere eam dilectionem, quæ reperitur in Contritione perfecta, quàm aliam minus perfectam. Deinde juxta P. Farvacques illud *diligere incipiunt* intelligendum est de eadem dilectione, de qua sermo est in Canone 3. dum definitur non posse hominem credere, sperare, *diligere* sine Spiritus S. inspiratione. Qua autem veri specie dicetur, quòd illic tantùm definiat Synodus, solam imperfectam charitatem non posse elici sine divina inspiratione, nihil autem tradat de charitate perfecta. Denique cum Synodus hac sessione cap. 4. & 14. agens de Justificatione ponat hanc disjunctivam, cum Sacramento vel ejus voto, & cap. 6. tradat dispositiones ad justificationem, quis credat omittere illam, quæ in lege veteri semper erat necessaria, & in lege nova frequenter, nempe Contritionem

perfectam, quæ perfectissima est dispositio.

Cum igitur illud *diligere incipiunt* intelligi non possit in principiis hujus Auctoris de sola dilectione seu Contritione perfecta, neque etiam de sola imperfecta dilectione, restat ut fateatur, Concilium agere tam de dispositione, quæ requirit consortium Sacramenti, quàm quæ sine hoc justificat. Quo posito tam ipse, quàm nos admittimus abstractionem in verbis Concilii, adeoque non est, quòd illam tamquam commentum rejiciat.

6. Queritur ibidem Auctor Xenii, quòd, cum sub disjunctione dixerit, *vel Tridentinum de mente Lutheri sollicitum non fuisse, vel mentitum fuisse Lutherum*; ego perinde cum illo egerim, ac si solam primam partem disjunctivæ proposuisset.

Justa esset hæc querela, nisi ego alterum membrum hujus disjunctivæ refutassem, hoc autem cum alibi egerim, nec possit disjunctiva everti, nisi singula seorsim membra impugnentur, facilè quivis intelligit, non habuisse illum, quod justè quereretur. Quę affert pag. 9. ut ostendat Tridentinum non fuisse sollicitum de mente Lutheri, refutabuntur cap. 5. §. 3.

7 Denique eodem §. affert plura testimonia Augustini, ut ostendat, quòd juxta Augustinum, amare Deum amore amicitiæ, sit illum amare ut fontem omnis justitię. Verùm testimonia, quæ profert, id non dicunt saltem clarè: & licet id in terminis traderent, nondum haberetur, quòd amore concupiscentię non possit Deus diligi ut fons justitiæ: nam prædicata, quæ dicunt respectum ad aliquem effectum nobis bonum, ut sunt prædicata liberalis, benefactoris, fontis bonorum &c. licet possint terminare amorem amicitię, possunt tamen etiam, & sæpe solent terminare amorem concupiscentiæ. Et hoc ipsum asserere videtur Augustinus in verbis ab ipso productis ex Epist. 52. ubi reprehendit gentiles, quòd vitam beatam *non ab illo fonte virtutum* (sive *fonte justitiæ* ut ait P. Farvacques) *peterent atque sperarent*. Nam petere & sperare vitam beatam à fonte virtutum seu justitiæ, nihil est aliud, quam fontem justitiæ amare amore concupiscentiæ.

Quid opponat contra 2. explicationem.

ALteram ad verba Tridentini responsionem dederam, quòd nempe post enumerata illic varia motiva timoris, spei, amoris, ex quorum singulis concipi potest detestatio peccatorum efficax, subjungat Synodus: *Ac propterea moventur adversus peccata, per odium aliquod:* hæc autem verba rectè sic intelligi possint, ex dictorum motivorum aliquo; addit enim *per odium aliquod*, ubi vox *aliquod* importat diversa odia, nempe ex hoc

vel

vel illo motivo, timoris quidem aut spei in justificatione Sacramentali, amoris verò in extrasacramentali.

8. Quę huic explicationi opponit, nullius plane momenti sunt, nec habent difficultatem.

Opponit 1. si particula *propterea* referenda sit ad omnia pręcedentia, etiam referri debebit ad fidem.

Resp. inane hoc esse argumentum: cum enim, ut ipsemet ait in Quęst. Quodlib. pag. 12. *non propterea detestemur peccata quia vera sunt, quæ divinitus revelata sunt, sed ob alia motiva*, quomodo ex eo, quod dixerim referri ad varia motiva, ex quorum singulis concipi potest detestatio peccatorum efficax, quomodo, inquam, hinc sequitur; ergo etiam referri debet ad fidem? cum propter hanc adversus peccata non moveamur.

Instat, etiam per timorem & spem non movetur homo adversus peccatum.

Resp. hoc assumptum manifestè refutatum est tract: de Attrit. num. 243. de quo rursus infra ad argument. 7. num. 54.

9. Opponit 2. Nemo, inquit, quod sciam, hactenus Tridentinum interpretatus est sub disjunctione locutum.

Resp. Mirum est, quòd hanc explicationem non viderit, cum eam tradat Suarez proximè post illa, quæ contra nos ex ipso producit P. Farvacques, nempe tom. 1. in 3. partem disp. 4. sect. 8. pag. 91. ubi ad hæc verba Tridentini ita loquitur: *Concilium ibi non agit de sola justificatione per Sacramentum re susceptum, sed vel in re vel in voto, ut cap. 4. ejusdem sess. idem Concilium aperte declarat, & ideo indefinité dixit* ALIQVOD ODIVM ET DETESTATIONEM, *quia non semper idem modus odii & detestationis in omni modo justificationis requiritur.* Eodem modo interpretatur Cardin. Lugo de Pœnit: disp. 8. sect. 4. num. 100. Arriaga disp. 50. de justificat. num. 17. (citatis Vega & Bellarmino) aliique. Huc etiam adferri potest Navarrus, qui in Enchir. impresso anno 1575. ita loquitur num. 39. *Quamvis Concilium Trident. sess. 6. cap. 6. dicat sufficere* ALIQVOD ODIVM ET DETESTATIONEM, *addit tamen esse necessarium, ut talis sit pœnitentia, qualis ante Baptismum exigitur,* NON AVTEM EXPLICAT, QVÆNAM ILLA SIT.

10. Tertiò denique sic opponit: Tridentinum resistit huic interpretationi, nam utitur particulâ copulativâ *illumque*. Quod si daremus locum opposito glossemati, debuisset Tridentinum uti particulâ disjunctivâ, dicendo *vel illum &c.*

Resp. negando ass. nam supposito quòd synodus certò voluisset illud *propterea per odium aliquod* intelligere disjunctivè, imò disjunctivam quam

tuemur, expressis verbis declarasset, non poterat tamen Synodus congruè dicere VEL *illum diligere* &c. Ostendo id ex ipso P. Farvacques, qui asserit voluisse Concilium hoc loco damnare doctrinam hæreticorum docentium, amorem Dei non posse præcedere justificationem, seu ad hanc non posse disponere. Si autem dixisset Synodus, disponuntur ad justificationem *timore vel amore*, non obtinuisset intentum, cum per hoc nondum haberetur dilectionem Dei posse esse, seu de facto esse dispositionem; nam ad veritatem illius disjunctivæ sufficit, si timor & non amor disponat: ergo in ordine ad finem suum debuit Synodus dicere *illumque*, cum teste P. Farvacques vellet definire determinatè de amore, quòd possit esse, & sit dispositio. Ergo ex illo quòd Synodus copulativè dicat, *illumque diligere* &c. nullo modo sequitur, quòd verba subsequentia *ac propterea* &c. non rectè explicentur de diversis odiis disjunctivè, præsertim cum addat propterea moveri adversus peccata *per odium aliquod*, ubi per vocem *aliquod* indicantur diversa odia, quam vocem nulli alteri ex enumeratis actibus adjecit.

11. Adde, si ex eo, quòd Synodus de timore, spe, & amore loquatur copulativè, aliquid rectè deduceretur, inferri deberet, quòd illud *propterea* etiam importet hunc sensum copulativum, & *propterea*, id est, ex timoris, & spei, & dilectionis motivo moventur adversus peccata; imò quòd ex omnibus illis motivis moveri oporteat sufficienter pœnitentem: quod nemo admiserit; sufficit enim odisse peccata ex solo motivo dilectionis, licet de gehenna ne cogitetur quidem.

Replicæ contra 3. explicationem.

TErtiam explicationem proposueram num. 182. tamquam probabilem, nempe quod sess. 6. cap. 6. agatur de sola justificatione extrasacramentali. Hanc ut probabiliorem amplectitur Suarez loco citato, Ysambertus, aliique. Hanc expositionem Auctor Xenii pag. 11. pronuntiat jam pridem adamantinis pessulis præclusam. Videamus quam firma sint, quæ contra opponit.

12. Objicit 1. agitur hoc loco de pœnitentia, quam agi oportet ante Baptismum; ergo non agitur de justificatione, quæ obtinetur sine actuali Sacramento.

Resp. negando conseq. nam pœnitentia quæ agitur ante Baptismum, vel consideratur prout accedit Baptismus actualis, vel pro casu quo hic suscipi non potest. Si cum actuali Sacramento, quandoquidem tunc sufficiat sive Attritio sive Contritio, adeoque nec Contritio nec Attritio determinatè requiratur, sed una ex illis vagè & indeterminatè, non

magis dici potest hoc casu *oportere* habere Attritionem, quàm Contritionem, adeoque pœnitentia, quam ante Baptismum, seu à nondum baptizato agi *oportet*, non magis est hæc quàm illa, sed alterutra indeterminatè. Quando vero Sacramentum suscipi non potest, determinatè necessaria est Contritio, neque sufficit Attritio. Cum ergo in nulla justificatione non baptizati determinatè necessaria sit Attritio, in aliquâ verò, Contritio sit determinatè necessaria; quomodo ex his verbis, id est per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi *oportet*, colligere quis possit, non agi in illis de Contritione, sed de sola Attritione? Præsertim cum hic agat Tridentinum de ea Pœnitentia, quam tamquam dispositionem justificatio ipsa consequitur. Porro ratio, cur ibi addat Tridentinum, *quam ante baptismum agi oportet*, hæc fuisse videtur; quia soli Pœnitentiæ ante baptismum competit includere votum Baptismi, cujus in verbis sequentibus meminit: *dum proponunt suscipere Baptismum*. In Pœnitentia autem utraque, quę ante Baptismum agitur, id est tam in Contritione, quam in Attritione votum Baptismi includi debet, secus in Pœnitentia jam baptizati.

13. Objicit 2. Synodus eodem capite adfert illud Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum*; ergo agit de justificatione, quę obtinetur cum actuali Baptismo.

Resp. neg. conseq. nam S. Petrus hortatur ad Pœnitentiam tam perfectam seu Contritionem, quàm ad Attritionem, & unâ ad Baptismum, quem utrâvis pœnitentiâ positâ obligabantur suscipere. Unde quamvis ex revelatione didicisset, omnes quos alloquebatur elicituros Contritionem perfectam, adeoque & justificandos ante actualem Baptismum, adhuc addere debuisset; *& baptizetur unusquisque vestrum:* cum positâ etiam Contritione perfectâ maneat obligatio ad Baptismum. Ergo ex verbis D. Petri nullo modo colligitur, quòd agat potius de actu, qui non justificat, nisi accedat Sacramentum, quam de Contritione perfecta.

14. Objicit 3. Synodus sess. 6. cap. 7. asserit Baptismum esse *causam instrumentalem justificationis*, ergo agit de justificatione cum Baptismo. Ubi ponderat, quòd Synodus dicat esse causam instrumentalem *hujus* justificationis, additque non intelligere se datam à me responsionem.

Resp. clarum esse contextum Tridentini: cum enim cap. 6. enumerasset dispositiones ad justificationem (inter quas non statuit Baptismum actu susceptum) sic orditur cap. 7. *Hanc dispositionem seu præparationem justificatio ipsa consequitur.* Quæ verba sunt quasi conclusio dictorum cap. 6. & transitio ad ea, quæ tractanda sunt cap. 7. ubi definitur, Quid sit justificatio impii, & quæ ejus causæ; ut fert titulus, atque adeo tradit

definitionem

definitionem justificationis generaliter, cum ea, sive per Attritionem cum Sacramento, sive per Contritionem conferatur, ex hoc non sit diversa. Justificationem autem definit esse *non solam peccatorum remissionem, sed & sanctificationem & renovationem interioris hominis per susceptionem gratiæ & donorum.* Tum pergit hujus (nempe de qua in verbis immediatè præcedentibus actum est, quæ sit renovatio hominis per susceptionem gratiæ & donorum) causas recensere, & pro causa instrumentali assignat Baptismum; ad quod sufficit, quòd sæpe instrumentaliter operetur, licet quandoque satis sit illum haberi in voto. Ita Suarez loco sæpe citato, aliique. Imo Exim. P. Lupus censet justificationem, quæ per Contritionem perfectam obtinetur, etiam causari à Baptismo, sive hominem in casu justificari per Sacramentum, quod nondum est. Ita docet in Differt. Dogmat. pag. 38.

15. Instat. Nihil ad rem facit quòd cap. 6. & initio sequentis non fiat mentio Baptismi actu suscepti; nam ibidem etiam non fit mentio causæ finalis, meritoriæ, formalis; sine his tamen non fit justificatio.

Resp. hoc responsum multò minus ad rem facere. Nam inprimis causa formalis non poterat aptè, saltem ex professo, tradi cap. 6. in quo agitur de præparatione & dispositionibus ad illam (nisi fortè velis eam esse dispositionem ad seipsam) cap. verò 7. statim initio traditur causa formalis, & reliquo eapite magis declaratur. Causæ item meritoriæ fit mentio cap. 6. dicitur enim *à Deo justificari impium* PER REDEMPTIONEM, QVÆ EST IN CHRISTO IESV. Item *Deum* PROPTER CHRISTVM *propitium fore.* Indicatur etiam causa efficiens in prædictis verbis: quomodo ergo dixit harum hoc capite non fieri mentionem? Denique cum Synodus cap. 6. ex professo agat de præparatione ad justificationem requisita ex parte peccatoris, seu id ad quod ex parte sua conari debet, causa autem meritoria, formalis, & finalis, non sit præparatio aut dispositio, quam peccator ex se afferat, nullo modo debuit dicto capite fieri harum causarum mentio.

16. Objicit. 4. sess. 6. cap. 14. Tridentinum agens de justificatione post Baptismum loquitur de ea, quæ fit per Sacramentum Pœnitentiæ, ergo cap. 6. agit de justificatione per Baptismum.

Resp. cap. 14. agi illic de Sacramentali; ut patet ex verbis initio capitis: & simul etiam agi de extrasacramentali justificatione, hoc enim indicatur dum dicitur requiri *Sacramentalem Confessionem saltem in voto.* At capite 6. cum nulla facta mentione Baptismi actu suscepti, sed solius propositi seu voti, subjungat ad hanc dispositionem consequi justificationem, nihil est, quod convincat agi de justificatione Sacramentali.

Instat

Instat 1. ergo Synodus nullibi egerit de dispositionibus ad justificationem cum Baptismo requisitis.

Resp. has sufficienter colligi præser tim ex iis, quę traduntur sess. 14. de dispositionibus ad Sacramentum Pœnitentiæ. Adde multò magis mirum fore, si illa sess. 6. non egisset de dispositionibus ad justificationem extrasacramentalem.

17. Instat 2. Constat ex proœmio sess. 6. in ea agi de justificatione, quam impugnabant hæretici: atqui cum hęreticis non fuit controversia dę sola justificatione extrasacramentali, ergo nec de hac sola agitur cap. 6. & 7.

Resp. 1. non omnes hæreticorum errores hoc loco damnari debere: asserebant hæretici dilectionem Dei non posse præcedere justificationem, nec ad hanc disponere; Tridentinum cap. 6. definit esse dispositionem, quam consequatur ipsa justificatio. Asserebant hominem justificari per imputationem justitię & meritorum Christi; definit Synodus cap. 7. justificari nos per formam nobis inhærentem. Errores verò illorum circa partes pænitentiæ, aliosque damnat sess. 14.

Resp. 2. sub majorę hujus argumenti sic potiùs subsumi debuisse: Atqui Confessionistæ agebant de sola justificatione sine Sacramento, volebant enim hominem justificari non propter suam dilectionem aut Contritionem, sed per solam fidem sine ullo respectu ad Sacramentum, cui omnem virtutem operis operati denegabant. Hanc fuisse eorum sententiam circa justificationem relapsi post Baptismum ostendam infra cap. 2. Neque aliter docebant de justificatione nondum baptizati, nam & Baptismo virtutem detrahebant, volebantque illum eo tantùm servire, ut concipiatur & roboretur fides, quæ sola justificat. Manifestum id est, ex articulo 13. Confessionis Augustianæ; ex Melancthone in Apologia Confessionis Tit: *de numero & usu Sacramentorum* &c. Hinc patet Auctorem Xenii, ex proœmio sess. 6. potius inferre debuisse oppositum ejus, quod infert.

18. Instat 3. Synodus in proœmio sess. 6. præfatur, quòd intendat tradere doctrinam justificationis, quam Christus docuit, Apostoli tradiderunt, & Catholica Ecclesia perpetuò retinuit. Atqui talis doctrina non est de sola justificatione extrasacramentali, ergo &c.

Resp. hac sessione tradi doctrinam de justificatione, quam Christus docuit, & Apostoli tradiderunt &c. dum nempe definit justificationem esse innovationem hominis per aliquid inhærens, fiduciam illam hæreticorum vanam esse, & ab omni pietate remotam, dilectionem Dei disponere ad justificationem &c. quibus convellit *erroneam quamdam de*

 justi-

justificatione doctrinam, contra quam se velle agere profitetur Synodus in eodem procemio. Neque dicit Concilium, se hac sess. traditurum omnem doctrinam, quam Christus docuit circa ea quæ aliquo modo ad justificationem faciunt: Unde in aliis sessionibus multa tradit ad justificationem præsertim Sacramentalem spectantia quæ tradita non sunt in sess. 6.

Atque hęc circa tertiam explicationem illorum verborum Tridentini hactenus adduxi, ut ostenderem sententiam Suarez, Ysamberti &c. commodè posse sustineri, neque hactenus ullis *pessulis adamantinis* præclusam, ut dicebat Auctor Xenii.

19. Cæterùm intento meo abunde sufficit, quod sess. 6. cap. 6. agatur de justificatione extrasacramentali, sive interim simul de Sacramentali agatur, sive non: & hanc explicationem tradunt passim Theologi; Suarez supra, Malderus 1. 2. q. 113. ad art. 3. Joannes Puteanus ex Ord. S. August. 1. 2. quæst. 113. ad art. 2. dub. 2. Tannerus in 3. p. disp. 1. q. 2. dub. 9. Arriaga de Justif. disp. 50. num. 16. Lugo supra, Curiel, aliique. Qui verò negant dicto cap. 6. sermonem esse de justificatione extrasacramentali, ut Vasquez & quidam alii, explicant verba Tridentini de solo amore concupiscentiæ. Adeoque omnes sibi contrarios habet P. Farvacques, neque hactenus pro sua illa expositione verborum Tridentini, ullum Auctorem adduxit præter solum Vivaldum de quo aliqua diximus supra & rursus dicemus cap. 5.

§. 2

Replicæ pro 2. & 3. Argumento.

SEcundum Argumentum hujus Authoris hoc erat: *Fides, nisi ad eam spes accedat & charitas, neque unit perfectè cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit. Qua ratione verissimè dicitur, fidem sine operibus mortuam & otiosam esse, & in Christo JESU neque circumcisionem aliquid valere, neque præputium, sed fidem, quæ per charitatem operatur.* Trident. sess. 6. cap. 7. Ex quo infert; ergo Attritio destituta motu charitatis, neque uniet perfectè cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficiet.

Tertium verò argumentum: *Fides sine spe & charitate vitam æternam præstare non potest*: Trident. ibidem: ergo nec Attritio servilis.

20. Respondi, illa verba Tridentini non de actibus, sed de habitibus intelligi. Negat id P. Farvacques in Xenio; fatetur quidem initio & fine capitis septimi sermonem esse de habitibus, vult tamen intermedia intelligenda esse de actibus, quod dicit se evidenter ostendere.

Ut tota ipsius replica enervetur, alio opus non est, quàm ipsis verbis

bis Tridentini, & communi illorum apud omnes intellectu.

21. Dicti capitis 7. hic est titulus: *Quid sit justificatio, & quæ ejus causæ?* tum initio justificationem hac ratione describit: *quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum. Unde homo ex injusto fit justus, & ex inimico amicus, ut sit hæres secundùm spem vitæ æternæ:* enumeratis deinde reliquis justificationis causis, subnectit: *Demum unica formalis causa est justitia Dei, non quâ ipse justus est, sed quâ nos justos facit, quâ videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ; & non modo reputamur, sed veré justi nominamur & sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus S. partitur singulis prout vult & secundùm propriam cujusque dispositionem & cooperationem.*

22. Hactenus agi de habitibus ex ipsis verbis evidens est, neque id negat Auctor Xenii, sed contendit in verbis proximè sequentibus agi de actibus. Ita prosequitur Tridentinum: *Quamquam enim nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis Christi communicantur: id tamen in hac impii justificatione fit dum ejusdem passionis merito per Spiritum S. Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque* IPSIS INHÆRET, *unde in ipsa* IUSTIFICATIONE *cum remissione peccatorum hæc omnia* SIMUL INFUSA *accipit homo per Christum, cui inseritur, Fidem, Spem & Charitatem.*

Hæc verba intelligenda esse de habitibus, non video quomodo negari possit, aut quid opus sit probare: lubet tamen aliqua adferre.

23. Primò, hæc verba connectuntur cum præcedentibus per causalem *enim*, nulla autem erit connexio, si hæc verba intelligantur de actibus: cum enim in prioribus actum sit de habitu, sensus esset: justificamur per aliquid habituale, quia non impetramus justificationem nisi per actus Fidei, Spei, & Charitatis: vel: justificamur secundùm cujusque dispositionem, quia præcedit actus charitatis tamquam dispositio: quæ utraque ratio frivola esset, cum justitia non minus sit aliquid habituale, cum quacumque demum dispositione impetretur, imò licet sine dispositione, ut in infantibus. Neque etiam potior sit ratio dicendi justitiam conferri pro proportione dispositionis, quando præparatio ad illam est actus charitatis, quàm si præparatio sufficiens sit aut esset alius actus, qui charitatis non sit.

24 Clarissimus autem est totus Tridentini contextus si intelligatur de habitibus. Asserebant hæretici, impium justificari per hoc, quòd merita Christi, ejusque justitia nobis imputentur, ac per fidem velut arrepta, nostra fiant, & sic nobis, sed extrinsecè communicentur. Contra quem errorem ita statuit Tridentinum, quòd formalis nostra justitia,

non sit ea, qua Deus justus est; sed qua nos justos facit, qua donati, eamque in nobis recipientes, non tantùm reputamur (prout volebant hæretici) sed verè sumus justi per justitiam in nobis receptam. Nam licet verum sit, neminem justificari, nisi cui merita Christi communicantur: id tamen fit in hac justificatione, non per communicationem meritorum Christi imputativam, sed per habitus seu dona, quę merito passionis Christi diffunduntur in cordibus nostris, atque inhærent.

25. Secundò, dum dicit Synodus, *in ipsa justificatione* CUM REMISSIONE PECCATORUM *hæc omnia simul infusa accipit homo.....Fidem*, *Spem & Charitatem*; eodem modo loquitur, quo initio capitis dixerat, *justificationem non esse solam remissionem peccatorum*, *sed renovationem interioris hominis per susceptionem gratiæ & donorum :* nisi quòd hæc dona illic distinctè exprimat; initio autem capitis agi de habitibus fatetur adversarius.

26. Tertiò, dum dicit Charitatem diffundi atque *ipsis inhærere* stabile ac habituale donum manifestè significat, contra hæreticorum justitiam extrinsecè tantùm imputatam.

Quartò denique Auctores unanimiter ex hoc loco probant, justitiam esse donum aliquod creatum intrinsecum & permanens, imò plurimi ob ea quæ dicuntur hoc capite id censent esse de fide, nec ulla verba id clariùs indicant, quàm hæc quæ Auctor Xenii in alium sensum violentè conatur detorquere. Qui unanimis hujus loci intellectus se solo sufficit, ut ex illo aliter intellecto deductum argumentum nullius omnino sit momenti, nec aliâ egeat refutatione, quàm oppositione communis consensus.

27. His stabilitis facile est colligere, quo sensu sumatur charitas in verbis sequentibus, quę rursus præcedentibus connectuntur per causalem *nam*. Sic pergit Synodus: NAM *fides, nisi ad eam spes accedat & charitas, neque unit perfectè cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit*. Nempe habitus fidei solus non unit cum Christo, sive non facit amicos Dei, justos &c. Nec vivum ejus corporis membrum efficit; id est, non facit nos viventes vitâ supernaturali, quæ vita habetur per gratiam sanctificantem (unde hęc vocatur vita animæ) neque constituit nos participes naturæ divinæ, adeoque nec potentes elicere actus secundos supernaturales, qui meritorii sint & condigni vitâ æternâ. Quod si autem in his verbis ageretur de charitate actuali, esset sensus planè impertinens; nempe hic; dum homo justificatur, infunduntur ipsi jam dicti habitus, quia ante justificationem debet elicere actus Fidei, Spei, & Charitatis.

28. Pergit ibidem Synodus: *Qua ratione verissimè dicitur Fidem sine operibus mortuam*

mortuam & otiosam esse: Quod sic intellige: cum habitus Fidei solus (nisi accedat habitus charitatis, qui est vel ipsa gratia sanctificans, vel cum hac inseparabiliter connexus) non faciat vivum membrum, seu vivens vita supernaturali gratiæ, sine qua elici non possunt opera viva (nam bona opera in mortali facta mortua sunt) rectissimè hoc sensu dicitur, fidem habitualem mortuam esse sine operibus, quia nempe opera, quæ cum sola fide habituali elici possunt, & eliciuntur, mortua sunt & infructuosa ad vitam æternam. Neque enim umquam mihi aut aliis persuaserit Auctor Xenii, quòd dum Synodus adfert hæc Scripturæ verba, *fides sine operibus mortua & otiosa est*, ea intellexerit, prout ipse explicat; nempe quòd fides sive actualis sive habitualis mortua sit quotiescumque non adest simul charitas actualis; sequeretur enim dicendum esse, quòd justus habeat fidem mortuam omni illo tempore, quo non elicit actum dilectionis Dei propter se, idque etiamsi aliarum virtutum actus exerceat tam præceptos, quàm alios.

In sensu jam tradito intelligendum est, quod dicit Synodus, verum esse, solam illam fidem valere, quæ per charitatem operatur.

29. Denique dum addit Tridentinum: *Vitam æternam sine Spe & Charitate Fides præstare non potest;* loquitur eodem sensu, quo ante dixerat: *Fides nisi ad eam Spes accedat & Charitas, neque unit perfectè cum Christo* &c. in his autem verbis agi de Charitate habituali ostensum est supra num. 27.

Quia autem per transgressionem mandatorum habitus Charitatis adeo necessarius amittitur, monet Synodus verbis Christi: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* &c. concludit, quòd justificati per illa verba jubeantur conservare justitiam acceptam, tamquam stolam candidam & immaculatam, ut eam perferant ante tribunal Christi, & accipiant vitam æternam.

Ex dictis hactenus manifestum fit, quàm meritò unanimis Doctorum consensus ea, quæ cap. 7. traduntur à Synodo, intellexerit de Charitate habituali; id enim evidenter exigit totus illius capitis contextus; quidquid dicat P. Farvacques, nullum pro sua interpretatione producens Auctorem. Rationes, quas adfert, pleræque manent solutæ ex jam dictis.

30. Objicit præterea 1. Sicut in ordine ad vitam spiritualem in actu primo est necessaria connexio & dependentia inter habitum fidei, & habitus spei & charitatis; sic quoque est conjunctio & dependentia necessaria inter fidem actualem & alias operationes, tum ad tuendam vitam animæ jam obtentam, tum ad amissam recuperandam, Ergo sicuti in ordine ad vitam supernaturalem habitui fidei necessariò accedere de-

bet habitus ſpei, & charitatis, ita quoque, ad vitam animæ recuperandam, actui Fidei neceſſariò debet accedere actus Spei & Charitatis.

Reſp. conſequentiam eſſe manifeſtè nullam. Quomodo enim ex eo, quòd ad gratiam recuperandam ſit neceſſaria connexio inter actum Fidei, & alias operationes ſeu actus, quos Chriſtus ad illum effectum requiſivit, quicumque demum ſint illi actus, quomodo, inquam, hinc inferri poterit, ergo ad juſtificationem obtinendam requiritur Charitas? Certe omnes noſtræ ſententiæ Auctores omnino aſſerunt ad juſtificationem in Sacramento non ſufficere Fidem, ſed illi neceſſariò accedere debere alios actus ſeu operationes, & tamen abſolutè negant requiri Charitatem.

31. Objicit 2. vox græca reſpondens voci latinæ *Charitas* ad Galat. 5. denotat affectum dilectionis.

Reſp. ſicut apud Latinos vox *Charitas* uſurpatur modo pro virtute, ſeu habitu, modo pro actu, ſic & apud Græcos vox illi correſpondens.

Inſtat: ad aliud Apoſtoli teſtimonium vocem græcam reſpondentem latinę *Charitas* intelligit Tannerus de charitate actuali: nam diſp. 2. de Spe quæſt. 2. num. 95. ait: ***Apoſtolus loquitur de charitate conſiderata quoad actum ſecundum, ut*** SANCTI QVIQVE ***intellexerunt.***

Reſp. hanc citationem duplici vitio laborare: nam 1. Tannerus habet, ETIAM ***de charitate quoad actum ſecundum:*** quia nempe eumdem Apoſtoli locum concluſione proximè pręcedenti de charitate habituali intelligit, & ex teſtimonio ſic intellecto format argumentum. 2. Tannerus non dicit, ***Sancti quique***, quæ tamen verba peculiariter ponderat P. Farvacques, ſed dicit ***Sancti quoque.*** Ac proinde nihil aliud dicit, quàm quod in illa verba: ***Charitatem autem non habuero***, ſcribit Fromondus; ***habitualem vel ſaltem actualem, indifferenter enim Patres, & præſertim Auguſtinus accipiunt.***

32. Adfert 3. quòd Synodus dicat neceſſariam eſſe mandatorum obſervationem in ordine ad conſervandam juſtitiam.

Reſp. hinc inferri non poſſe, in pręcedentibus agi de charitate actuali, ſed potius contra, quòd actum fuerit de habituali, ſeu de juſtitia, ad quam conſervandam hîc aſſignat medium neceſſarium obſervationem mandatorum. Similiter ex eo quòd Tridentinum hîc obiter addat gratiam actualem conferri pro ratione majoris minoriſve diſpoſitionis (de quo cap. 6. nihil dixerat) non ſequitur in ſequentibus agi de actibus, qui ſunt diſpoſitio ad juſtificationem, cum de his egiſſet capite proximè præcedenti.

33. Denique opponit factum S. Franciſci Xaverii, qui ſcribit ſe

poſt

poſt traditum & decantatum cum Catechumenis primum præceptum de diligendo Deo, addere cum iiſdem orationem ad Chriſtum, & ejus matrem, ut ſibi daretur vel impetraretur ſedula illius præcepti obſervatio. Additque S. Xaverius, ſe ſic inſtitutos rite baptizare. Hinc concludit Auctor Xenii, S. Xaverium à baptizandis Dei dilectionem ſolitum fuiſſe requirere.

34. Reſp. illud hujus Sancti factum non magis ad rem facere, quàm faciebant verba, quæ ex S. Ignatio attulit in Quæſt. Quodlib. Nam inſtrui quempiam de primo præcepto, eumque à Deo petere, ut bene obſervet præceptum de amando Deo (nempe eo tempore quando præceptum urgebit) non eſt de facto amare Deum, nec qui inſtruit Catechumenum, ut id petat, facto ſuo indicat dilectionem Deī Baptiſmo præmitti debere. Aliàs enim, cum poſt præceptum ſecundum decalogi de ſanctificando Sabbatho explicatum & decantatum, dicat S. Xaverius, à ſe ſuiſque ſolitam ſubjici[redacted]orationem, qua petebant, ut hoc quoque præceptum ritè ſervarent, ſequeretur S. Xaverium à Catechumenis exegiſſe, ut obſervationem Sabbathi tamquam neceſſariam Baptiſmo præmitterent. An ſi idem Sanctus (quod poterat) poſt explicata præcepta Eccleſiæ de Confeſſione & Communione, curaſſet eos à Deo petere horum præceptorum ſedulam obſervationem, an, inquam, hinc ſequeretur, eum voluiſſe Confeſſionem & Communionem Baptiſmo neceſſariò præmittendam? Adde, licet ipſe inſtruxiſſet illos, non tantùm petere obſervationem præcepti de amando Deo, ſed etiam de facto amorem Dei Baptiſmo præmittere, hinc non ſequeretur eum judicaſſe, quòd is actus neceſſariò Baptiſmo ſit præmittendus: quis enim ad actum tantò nobiliorem non hortetur, quamvis neget eſſe neceſſarium?

§. 3.

Reſponſio ad additamenta pro 4. Argumento.

SUmma quarti argumenti hæc eſt: Ad juſtificationem requiritur pœnitentia; atqui hæc numquam eſt ſine actu charitatis: ergo &c. Prob. minor quia Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 3. aſſerit effectum Sacramenti Pœnitentiæ eſſe reconciliationem cum Deo, & Can. 1. definit hoc Sacramentum eſſe inſtitutum fidelibus ipſi Deo reconciliandis. Atqui reconciliatio requirit amorem amicitiæ in eo, qui reconciliatur, ergo &c.

35. Tota vis hujus argumenti, ſi qua eſt, ſita eſt in eo, quid importetur per eam vocem *reconciliatio:* hanc neceſſariò importare amorem amicitiæ

amicitiæ erga eum, cui quis reconciliatur, probaverat in Quæst. Quodlib. ex ipsis naturæ & amicitiæ legibus: cujus probationis cum mentionem nullam faciat in Xenio, videtur quoad hoc acquiescere solutioni à me datæ.

Concedit præterea pag. 18. Xenii, infantes, dum baptizantur, Deo reconciliari; posse etiam Deum sibi reconciliare adultum sine ullo hujus actu. His autem admissis non video, quid superesse possit controversiæ in ejus argumento. Si enim infans dum per Baptismum justificatur; si adultus, qui viâ extraordinariâ justificaretur sine ullo suo actu: si, inquam, hi verè Deo reconcilientur; evidenter sequitur, quòd, si peccator cum nostra Attritione in Sacramento justificetur, dicendus etiam sit Deo reconciliari. Ergo ex eo quod in Sacramento dicatur fieri reconciliatio cum Deo, perperam infertur ex voce *reconciliatio*, quòd, qui per Sacramentum justificatur, necessariò præmittere debeat dilectionem Dei. Unde non intelligo, quomodo P. Farvacques hìc dicat, meum responsum fuisse alienum à proposito.

36. At, inquit, argumentum agit de reconciliatione affectuum.

Resp. 1. ergo jam malè opponitur hoc argumentum tamquam petitum ex Tridentino, hoc enim ne verbum quidem facit de reconciliatione affectuum, sed simpliciter de reconciliatione, adeoque hoc argumentum non potest fundari in dictis à Synodo.

37. Resp. 2. evidentissimum esse quod Synodus per vocem *reconciliatio* non intellexerit reconciliationem affectuum qualem hic Auctor vult intelligi.

Manifestius id est ex ipsis Synodi verbis, quàm ut negari ab ullo possit: sic enim loquitur Tridentinum dicto cap. 3. sess. 14. EFFECTUS *hujus Sacramenti* (Pœnitentiæ) *quantum ad ejus vim & efficaciam pertinet*, RECONCILIATIO *est cum Deo*. Atqui actus dilectionis Dei, quem requirit hic Auctor, cum sit præparatio seu dispositio ad Sacramentum, ejusque effectum, non potest esse Sacramenti effectus: ergo Synodus per vocem *reconciliatio* non intelligit illum actum dilectionis Dei. Tridentinum igitur per reconciliationem intelligit justificationem ipsam formalem, quâ peccator præter remissionem peccatorum donatur, & sic ex injusto fit justus, ex inimico amicus &c. hic enim solus est effectus Sacramenti Pœnitentiæ, non autem actus ille amoris ad justificationem disponens.

38. Inculcat hìc rursus illud Apostoli 2. ad Corinth. 7. *Quæ secundùm Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Responsum jam est non semel, nostram Attritionem esse tristitiam secundùm Deum: sed

contra

contra urget: non ſatis eſt dicere, oportet & probare.

Reſp. cum ipſe hæc verba nobis objiciat, in quibus nulla ſit mentio amoris Dei, ipſi incumbit onus probandi, per triſtitiam ſecundùm Deum illic intelligi ſolum dolorem, qui ſit ex motivo amoris amicitiæ erga Deum. Cæterùm cum noſtra Attritio ſit dolor ſeu triſtitia, & quidem honeſta ac ſupernaturalis, cum ſit, *Compunctio ſalutaris*, ut eam vocat Laurentius Juſtinianus, cum excludat voluntatem peccandi, &c. non video quomodo dubitari poſſit, quin ſit triſtitia ſecundùm Deum: & hoc ſupponunt omnes exceptis iis, qui negant dolorem ex metu eſſe actum bonum aut ſupernaturalem. Unde interpretes paſſim hoc loco triſtitiam ſecundùm Deum opponunt triſtitiæ hujus ſæculi, quæ mala eſt; noſtra autem Attritio non poteſt dici triſtitia hujus ſæculi, ſeu mala, aut non bona. Illi autem qui dicunt dolorem de peccatis ex amore Dei eſſe triſtitiam ſecundùm Deum, per hoc non negant, aliam prætere dari triſtitiam, quæ ſit ſecundùm Deum. Denique, ut ſępe monui, malè ſupponunt Adverſarii, quòd, ubicumque reperitur vox, amor, vel, amor Dei, hoc neceſſariò intelligi debeat de amore amicitiæ. Vide dicta in Reſponſ. ad Epiſt. Famil. num. 64. & alibi.

§. 4.

De Quinto Argumento.

QUintum argumentum hoc erat: Pœnitentia ſalutaris debet aliquo modo averſari peccatum ut eſt offenſa Dei: *Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 1.* Atqui in odio peccati, ut eſt offenſa Dei, inſeparabiliter includitur amor benęvolentię erga Deum: Ergo etiam in omni pœnitentia ſalutari.

39. Huic argumento reſponderam negando majorem illius propoſitionem, quia Tridentinum non habet illam particulam reduplicativam *ut* ſeu *tamquam*, in qua tamen ponitur tota vis hujus argumenti. Huic ſolutioni in Xenio nihil omnino reponit P. Farvacques, cum tamen, niſi major illa probetur, ruat totus ejus diſcurſus, & fruſtra fatigetur in probanda minore propoſitione.

40. Porrò, quæ ad probandam minorem adducit in Xenio, ad rem non faciunt: nam ut oſtendi in tract. de Attrit. cap. 9. §. 5. dolere de peccato, ut eſt offenſa Dei, admittit duplicem ſenſum; primus eſt, ut ſignificet, dolere de peccato, quatenus eſt malum Dei, & in hoc ſenſu involvitur ſine dubio amor Dei. Alter eſt, ut ſignificet, dolere de peccato, quatenus Deus propter illud contra peccatorem iraſcitur ſeu offenſus

eſt; & hoc ſenſu ille dolor nullo modo requirit aut includit dilectionem Dei. Addidi, ex adjunctis proinde colligi debere, utro ſenſu ſumatur. Quare fruſtra nobis opponit D. Thomam, alioſque, qui pro ſubjecta materia, in qua loquuntur, accipiunt illud, *ut offenſa Dei*, in primo ſenſu jam aſſignato. Et in hoc eodem ſenſu manifeſtè ſumit Vaſquez in 3. part. quæſt. 85. art. 2. dub. unico: utque oſtendat ſe illo ſenſu uſurpare, ſæpiſſimè explicans addit: *Ut eſt quodammodo malum Dei; ut eſt contra Deum* &c. & in hoc ſenſu aſſerit, paſſim omnes ſentire, quòd dolere de peccato *ut eſt offenſa Dei*, ſive ut malum Dei eſt, ſit actus dilectionis. Perperam igitur illum adfert Auctor Xenii, quaſi P. Vaſquez univerſaliter diceret, quòd dolere de peccato, *ut eſt offenſa Dei*, importet neceſſariò amorem. Et illam hujus Auctoris mentem poterat Auctor Xenii ſatis colligere ex ipſa controverſia, quam dicto loco tractat Vaſquez. Agens enim de Contritione perfecta; diſputat an in illa reperiri debeant duo actus diſtincti, alter dilectionis Dei, alter Pœnitentiæ virtutis ſpecialis, & negat duplicem requiri, quia deteſtari peccatum ut eſt offenſa ſeu malum Dei, eſt formaliter ſimul amor Dei.

41. Objicit præterea, dicitque ſibi diſplicere explicationem doloris de peccatis, ut eſt offenſa Dei, in ſecundo ſenſu proximè tradito; quia, inquit, *Lutherus ejuſque diſcipuli deteſtationem peccati, UT eſt offenſa Dei, explicant per ordinem ad iram & indignationem divinam.* Quorum teſtimonia ſubjungit.

Reſp. Ut hoc cum aliqua ſpecie aſſereret Auctor Xenii, debuerat ſaltem unum teſtimonium hæretici addixiſſe, in quo mentio ſit de dolore peccati, *ut* offenſa Dei eſt, aut cum ſimili reduplicatione, quale nullum cum proferat, gratis dicitur ſic explicuiſſe dolorem de peccato *ut* eſt offenſa Dei. Dum autem hæretici in teſtimoniis à P. Farvacques allatis dicunt quòd peccator IRAM & INDIGNATIONEM *Dei formidet*; quòd ſecum exclamet: *Ah! cur Deum* OFFENDI, *cur* IRAM *& judicium ejus adverſum me concitavi?* Quòd peccator *ſentiat ſeu cognoſcat Deum offenſum & iratum. & ſe reum æternæ damnationis* &c. Dum, inquam, hæc & ſimilia dicunt hæretici, nihil dicunt quod reprehenſione dignum ſit; imò quod non totidem ferè verbis reperire ſit apud obvios quoſque Scriptores Catholicos. Sed in hoc erant damnabiles, quòd vellent illos terrores accedente Fide, ſine ſerio dolore de peccatis, eſſe veram Pœnitentiam ſeu Contritionem ſine Sacramento juſtificantem; prout clarè oſtendetur capite ſeq.

§. 5.

Quænam addat ad Argumentum Sextum.

SExtum argumentum fuit. Ad salutarem Pœnitentiam requiritur vera cordis ad Deum conversio, de qua Ezech. 18. CONVERTIMINI AD ME &c. *Tridentinum sess.* 14. *cap.* 1. Atqui vera cordis ad Deum conversio non potest obtineri, nisi per amorem benevolentiæ. Ergo &c. Minorem probat, quia verbis illis Ezechielis significatur conversio per amorem benevolentiæ, quo solo certum est potuisse converti Judæos.

42. Responsio huic argumento data fuit: si quid illo probaretur, probandum, quod cum Sacramento requiratur actus vi suâ sive sine Sacramento justificans, cum enim Judæi nullum haberent Sacramentum justificans (si remedium parvulorum excipias) debebant justificari per solum actum, adeoque de hoc actu loquitur Ezechiel: & per consequens, si Synodus ad omnem justificationem requirat illam specificam conversionem, de qua Ezechiel, debet requirere actum, qui sine Sacramento justificet.

Contra hanc responsionem opponit P. Farvacques, Judæos non tantùm potuisse converti per amorem amicitię perfectum, seu se solo justificantem, sed etiam per amorem imperfectum, & qui se solo non justificet, & per quem habeatur conversio imperfecta.

43. Resp. 1. si velis Ezechielem hic agere de conversione per illum actum quo posito remittebantur peccata præterita; dico per conversionem illic significari Contritionem perfectam, neque enim, ut fert communis consensus, alius erat actus, quo justificabantur peccatores in lege veteri. Deinde si contendas, Judæos privilegio extraordinario quandoque remissionem peccatorum consecutos sine actu Contritionis perfectæ: duo, ut aliquid efficias, erunt probanda; primum, quòd Ezechiel hic loquatur de conversione extraordinaria, non autem de ordinaria: alterum, quòd hoc privilegium non æquè contingeret Attritioni ex metu gehennæ, quàm dolori ex motivo amoris, qui tamen tantùm sit Attritio. Denique si asseras, justificationem regulariter obtigisse Judæis cum sola Attritione; necesse erit ostendere, quòd ea tantùm obtigerit positâ Attritione ex motivo amoris, non autem attritis ex motivo metus gehennæ, aut ex spe glorię.

44. Resp. 2. Si dixeris Prophetæ sermonem esse de sola conversione per actum talem cum quo manet reatus peccati præteriti, quæ conversio in eo consistit, quòd homo peccata commissa detestetur, ac in posterum decernat non committere, sic ut actus excludat omnem volunta-

tem actualem peccandi: si, inquam, de hac conversione Ezechielem intelligas, quandoquidem manifestum sit ex dictis & dicendis, id fieri posse per actum, qui pro motivo habet timorem aut spem; unde ostendes, prophetam potius loqui de conversione, quæ fit per amorem, quàm de ea quæ fit per timorem aut spem?

45. Instat 1. Auctores passim conversionem, de qua Ezechiel, intelligunt de amore.

Resp. hoc mirum non esse, quia censent agi de ea conversione per quam in lege veteri peccata remittebantur, quam cum communi supponunt non esse aliam, quam Contritionem perfectam quæ sine dubio amorem involvit.

46. Instat 2. Confessio Augustana conversionem impii explicat per terrores.

Resp. Quòd hoc objiciat Auctor Xenii, oritur ex eo quòd non examinaverit, quinam essent terrores ab hæreticis admissi, & quàm distantes à nostra Attritione. Nam (ut ostendam cap. seq.) terrores illos statuebant ad peccatum pertrahere & desperationem, & stare cum actuali peccato, talem autem actum nemo sanus vocaverit conversionem ad Deum. Imo volebant hos terrores, dummodo accederet Fides, esse Contritionem perfectam, seu actum sine Sacramento justificantem, qualis est conversio, de qua Ezechiel, quod (ut ibidem ex Tappero dicemus) falsum est & erroneum.

47. Objicit 2. Qui convertitur ad Deum, debet ad Deum faciem & vultum cordis vertere. Atqui id non facit qui atteritur ex metu gehennę ergo &c. Minorem probat, quia sic attritus fugit Deum iratum, atque adeo non vertit illi faciem & vultum, sed dorsum, neque convertitur ad Deum, sed ad pœnas.

Resp. mirum esse, quòd in sua metaphora adeo inconstans sit hic Auctor; nam dicit peccatorem, eo quòd timeat Deum iratum, vertere illi dorsum, nec ad eum converti; & tamen pag. 24. & 25. in medio, ait quòd per nostram Attritionem, seu timorem Dei tamquam ultoris, convertatur peccator ad pœnas, adeoque juxta ipsum, quòd timeat pœnas, non facit quo minus ad has convertatur. Cæterùm similes phrases seu metaphoræ de facie & dorso cordis, cum obscuriores sint, quàm illud, quod per eas significatur, non rectè adhibentur, ad quidquam solidè ac theologicè probandum.

48. Porrò dari posse conversionem ad Deum ex motivo timoris gehennæ, manifestiùs est, quàm ut per similes metaphoras obscurari possit. Talem conversionem ad Deum agnovit D. Thomas 2.2. quæst. 19.

19. art. 2. in corp. ubi ita loquitur: *Cum objectum timoris sit malum, quandoque homo propter mala, quæ timet, à Deo recedit, & iste dicitur timor mundanus vel humanus. Quandoque autem homo propter mala, quæ timet, ad Deum* CONVERTITVR, ET INHÆRET. *Quod quidem malum est duplex, scilicet malum pœnæ, & malum culpæ. Si ergo aliquis* CONVERTATVR AD DEVM ET EI INHÆREAT *propter timorem pœnæ, erit timor servilis. Si autem propter malum culpæ, erit timor filialis.* Ecce D. Thomas conversionem ad Deum & inhæsionem adscribit tam timori servili, quàm filiali, quia nempe peccator propter pœnam, quam timet, detestatur peccata præterita, statuit eorum veniam à Deo petere, quem sperat placandum, statuit numquam deinceps peccare; & hâc ratione à peccato avertitur & convertitur ad Deum, licet illorum actuum motivum ultimatum sit evasio pœnę, quæ timetur. Sic quoque nostram Attritionem esse conversionem ad Deum agnoscit Sylvius supplem. quæst. 5. art. 1. ad argum. 7. aliique, quos in re manifesta opus non est recensere.

At, inquit Auctor Xenii, pag. 25. peccator *per timorem gehennæ* DEVM *iratum* FVGIT. Item Attritio, quæ est ex solo motivo metus, *pro objecto adæquato & ultimato habet* FVGAM DEI. Similia habet pag. 52.

49. Resp. negando ass. intellectum de timore & Attritione, qualem nos requirimus, quod quamvis satis pateat ex dictis num. præcedenti, juvabit tamen hîc audire Hesselium hujus Academiæ Doctorem. Hic in Confutatione Fidei specialis edita anno 1562. pag. 4. ponit hanc ex Monhemii hęretici Catechismo interrogationem: *Quomodo Deum simul timere & diligere possumus, cum Apostolus dicat, perfecta dilectio foras mittit timorem?* tum subjungit ejusdem hæretici hoc responsum: *Hoc de timore servili intelligendum est, quo cor* HORRIBILI TIMORE FVGIT DEVM. *Hîc de eo timore loquimur, quo filius patrem timet, honestè se gerens, illi obtemperans, non quia metuat verbera, sed quia pater est.* Hæc confutans Hesselius ita scribit: *Hoc est, quo rudiores maximè decipiunt hæretici, quod scilicet semper docent, agnitionem peccati & timorem supplicii abducere nos à Deo: quod docent, omnem qui timet supplicium, eo timore* DEVM FVGERE. Tum proponens Catholicam sententiam ita prosequitur. *Nos autem dicimus agnitionem peccati, & timorem divinæ severitatis non abducere hominem à Deo, nisi hæc separentur à Fide Christi mediatoris, quâ creditur Deus, confugientibus ad se per Christum, paratus ignoscere: aut cum eâ quidem sunt Fide, sed sine Spe veniam obtinendi: quæ solet iis fidelibus deesse, qui usque adeo amant peccatum, ut numquam per Christum ad Deum pro venia confugere velint.* Hactenus Hesselius.

50. Cum igitur Attritio, de qua agimus, sit vera cordis ad Deum conversio, & Ezechiel conversionem, quæ requirebatur in Judæis ad

debebat adjunctum habere Baptiſmum, vel ſaltem hujus votum includere. Atque hæc ſervient pro additamento ad argumentum ſextum.

§. 6.

Argumentum Septimum.

FUit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum Contritionis motus neceſſarius: *Trident: ſeſſ.* 14. *cap.* 4. Sed motus Contritionis aliquam Dei propter ſe dilectionem requirit. Ergo &c.

52. Quòd autem omnis motus Contritionis (ſive omnis dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero) neceſſariò requirat amorem amicitiæ erga Deum, probaverat in Quæſt. Quodlib. authoritate D. Thomæ. Qui locus cum ad rem non faciat, intactum præterivi. Verùm cum eumdem rurſus in Xenio urgeat, tamquam id, ad quod producebatur, diſertè probantem, totum teſtimonium D. Thomæ hic exhibebo, neque enim aliâ opus eſt reſponſione aut refutatione.

53. D. Thomas 1. 2. quæſt. 113. agens de actibus, qui requiruntur in juſtificatione adulti, tandem articulo 5. quærit: *Utrum ad juſtificationem impii requiratur motus liberi arbitrii* IN PECCATVM. Tum primum pro parte negativa hoc ponit argumentum: *Videtur quòd non: ſola enim charitas ſufficit ad deletionem peccati; ſed charitatis objectum non eſt peccatum, ergo non requiritur motus liberi arbitrii* IN PECCATVM. Cui argumento in hunc modum reſpondet D. Thomas: *Ad 1. dicendum, quòd ad eamdem virtutem pertinet proſequi unum oppoſitorum, & refugere aliud, & ideo ſicut ad charitatem pertinet diligere Deum, ita etiam deteſtari peccata, per quæ anima ſeparatur à Deo.* Ecce D. Thomas requirit actum, qui ſit deteſtatio peccati: objicienti autem è contra, quòd ſufficiat ſola charitas ad juſtificationem, reſpondet, actum dilectionis Dei deteſtari id, quod Deo contrarium eſt ſeu malum: quod totum planè admitto. Quâ autem conſequentiæ formâ hinc infert Auctor Xenii: ergo omnis deteſtatio peccati juxta D. Thomam eſt neceſſariò actus amoris amicitiæ.

54 Reſumit deinde argumentum ſuum à ratione. Si, inquit, propriè loqui velimus, qui deteſtatur peccatum ex ſolo metu gehennæ, non verè deteſtatur peccatum, ſed ejus effectum: ſicuti, qui fugit lupum, à quo ſibi damnum metuit, non tam fugit lupum, quàm damnum.

Reſp. Si propriè loquamur, verè fugit lupum, & ipſa Scriptura admonens ad fugam peccatorum, deſumit comparationem à fuga noxiorum

xiorum animantium: *tamquam à facie colubri fuge peccatum.* Quòd enim fugiat propter aliud, non obstat, quo minus verè fugiat. Sic qui vult furari, aut furatur eo fine ut fornicetur, verè vult furari, & furatur, æquè ac si non faceret ob fornicationem. Dicesne nullum eorum, qui oderunt proximum aut huic irascuntur propter malum, quod ab illo passi sunt, vel pati timent; nullum, inquam, eorum verè proximum odisse, aut ei irasci, sed tantùm odisse malum, quod passi sunt vel timent? si ita est, jam omne pœnè odium proximi è mundo sustuleris. An fortè qui convitia ingerit ob mala, quæ patitur, non proximum, sed illud malum convitio excipit? An si propterea occidat aut vulneret, dicendus erit injuriam illatam, non autem proximum occidisse aut vulnerasse?

55. At, inquit, potest quis odisse culpam, & non naturam inimici, seu ipsum inimicum.

Resp. certum id est; non potest tamen detestari aut odisse inimicum propter culpam aut illatam injuriam tamquam motivum, quin detestetur, & verè oderit inimicum. Ergo eodem modo non potest detestari peccatum, propter pœnas seu peccati effectum, tamquam rationem motivam, nisi verè detestetur peccatum: sicut non potest occidere inimicum ob injuriam, quam ab eo passus est, nisi verè occidat inimicum seu naturam inimici.

56. Reliqua quæ in Xenio circa hoc argumentum repetit, abundè soluta sunt alibi. Quod de novo adfert ad probandam suam differentiam novi Testamenti à vetere ex D. Thoma 2. 2. q. 108. art. 1. ad 3. nihil ad rem facit, cum nihil ibi sit, quod indicet agi de amore amicitiæ erga Deum, ut manifestum fiet locum inspicienti: non lubet similibus confutandis inhærere. Videtur Auctori Xenii non fuisse curæ, examinare, de quo amore loquantur, quos adfert, sed satis ei fuisse, si utentur voce *Amor*, quasi non detur alius amor, quàm amor amicitiæ erga Deum.

§. 7.

Argumentum Octavum.

Attritio illa demum sufficit cum Sacramento Pœnitentiæ, SI VOLUNTATEM PECCANDI EXCLUDAT. *Tridentinum sess.* 14. *cap.* 4. Sed Attritio servilis voluntatem peccandi non excludit. Ergo non sufficit cum Sacramento Pœnitentiæ.

57. Majori propositioni hujus argumenti probandæ in Quæst Quodlib.

fib duos impleverat paragraphos, ut ostenderet illa verba Tridentini *Si voluntatem peccandi excludat*, importare exclusionem positivam; sic ut cum Attritione, de qua Tridentinum, impossibile sit stare peccatum actuale. At in Xenio aliam viam ingressus ait, hanc propositionem, atque adeo & omnem illius probationem, debere censeri sublatam. Quare misso hoc argumento, contentus est asserere & probare, quod Attritio nostra non excludat voluntatem peccandi, id agit cap. 4. ubi ejus argumenta dissolvemus.

§. 8.

Argumentum Nonum.

ATtritio salutaris, quæ ex timore nascitur, concipi debet ex illo, vel saltem non minus perfecto timore, quàm fuerit ille, quo utiliter concussi Ninivitæ pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Deo impetrarunt. Atqui timor ille Ninivitarum non fuit destitutus omni benevolo affectu in Deum. Ergo &c.

Huic argumento responderam: Si per misericordiam, quam illic dicuntur Ninivitæ impetrasse, intelligatur eorum justificatio; hanc eos impetrasse non per timorem, sed per actum vi sua justificantem, adeoque si hoc argumentum valeat, sequi etiam, quòd cum Sacramento requiratur Contritio perfecta.

58. Opponit in Xenio, malè assumi, quòd Ninivitæ justificati sint per actum dilectionis vi sua justificantis; quod ipse negat verum esse.

Resp. Cum apud Ninivitas non fuerit Sacramentum, quod ex opere operato mortalia peccata remitteret; si ponantur fuisse justificati, necesse est, ut id factum fuerit per solum ipsorum actum, seu ex opere operantis. Actum autem, quo, ante instituta nostra Sacramenta, remittebantur peccata, fuisse solam Contritionem perfectam, planè communis est Auctorum & fidelium sensus. Hinc mirum non est, si illi, qui putant ibi importari justificationem, hanc asserant ab illis impetratam per dilectionem Dei propter se.

59. Quòd si Auctor Xenii dicat, Ninivitas ex speciali & extraordinario favore justificatos esse sine Contritione antonomasticè dicta, cum solo actu inferiore, qui erat Attritio: qua ratione probabit, fuisse Attritionem ex amore Dei potiùs, quàm ex timore? præsertim cum Synodus nullam amoris, sed solius timoris & Pœnitentiæ terroribus plenæ meminerit. Vide dicta §. 5. ad argum. 6.

§. 9.

Ad Argumenta conglobata.

PRimum ex conglobatis hoc erat argumentum. Iſraëlitæ, quos alloquitur D. Petrus Act. 2. erant compuncti timore, quo non obſtante Apoſtolus monet, *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum.* Adeoque requirit à baptizando ulteriorem pœnitentiam ſeu præparationem à timore diſtinctam, ergo cum Baptiſmo requiritur amor Dei.

60. Dixi hoc argumentum vacillare duplici ex capite. Primo, quia non oſtenditur, quòd habuerint timorem, qualem requirimus, nempe cum deteſtatione peccati commiſſi, & propoſito omnia vitandi &c. Cui nihil aliud reponit, quàm quòd excluſio peccati ſine amore Dei haberi non poſſit, quam reſponſionem jam ſæpe evertimus.

Secundo, quia Act. 2. non dicitur, eos fuiſſe compunctos *ſpiritu timoris*; ſed ſimpliciter, quòd eſſent compuncti: unde igitur probatur quòd fuerit compunctio ex timore potiùs, quàm ex alio motivo, etiam amore?

61. Huic reſponſioni opponit P. Farvacques: ſi poſſit intelligi compunctio per amorem, per hoc cauſam ſuam juvari. Verùm hîc obliviſcitur argumenti à ſe facti, quod planè ruit, ſi intelligatur compunctio ex amore, ex eo enim quod poſita illa compunctione D. Petrus dicat *Pœnitentiam agite*, vult requiri pœnitentiam ulteriorem ab illa compunctione diſtinctam. Atqui juxta ipſum falſum eſt requiri aliam diſpoſitionem, quàm dolorem ſeu Attritionem ex motivo dilectionis Dei: ergo &c.

62. Quòd autem reſponſio mea ejus cauſam juvet, probat hac ratione: Pœnitentia de qua Act. 2. eſt præparatio ad juſtificationem requiſita; ergo, ſi præceſſerit compunctio ex amore Dei, quid aliud concludi poteſt, quàm Pœnitentiam, de qua Act. 2. prærequirere amorem Dei, id eſt, ut intelligo, Pœnitentiam ad Baptiſmum requiſitam debere eſſe ex motivo amoris? neque enim credo, quòd velit ante legitimam pœnitentiam præmitti debere alium actum, qui ſit dilectionis.

Reſp. argumentum illud eſſe ſimile huic: Qui dicit, Pœnitentiam agite & baptizamini, hortatur ad Pœnitentiam cum Baptiſmo requiſitam pro juſtificatione; ergo ſi illi, quos hortatur, elicuerint Contritionem perfectam, ſequitur Pœnitentiam, ad quam adhortabatur, debere neceſſariò eſſe Contritionem perfectam: quæ inanis eſt conſequentia. Nam cum præparatio ad Baptiſmum, hujuſque fructum requiſita, ſit

vel

vel Contritio, vel Attritio, non sit autem hęc vel illa determinatè necessaria, sed tantùm alterutra; ille qui hortatur ad pœnitentiam, tantùm requirit hanc vel illam, neutram autem determinatè; ex eo autem quod baptizandus ex duabus indeterminatè necessariis hanc præ illa adhibeat, nullo modo sequitur, hanc esse determinatè necessariam ad Baptismum ejusque effectum.

63 Alterum ex conglobatis est, quod Tridentinum sess. 6. cap. 7. requirat *Fidem quæ per Charitatem seu dilectionem operatur.*

Resp. Unde probat quòd per *Charitatem* illic significetur actus dilectionis? neque enim ad hoc sufficit, quòd ipse de suo, eodem charactere interiiciat verbis Apostoli, *seu dilectionem.* Unde constat non agi illic de Charitate habituali? prout explicui §. 2. hujus capitis, quo modo illa Apostoli verba exponit Cornelius aliique. Denique cur non possint intelligi de Charitate fraterna? præsertim cum Apostolus ibidem subjungat v. 13. *Per Charitatem spiritus servite invicem. Omnis enim lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Quod si invicem mordetis &c.*

Quæ ibidem de novo adfert Augustini, Chrysostomi & D. Thomæ testimonia, ad rem non faciunt, cum in illis ne verbum quidem sit, quod indicet illos agere determinatè de actuali Dei propter se dilectione, ut patebit illa in Xenio legenti.

64. Tertiò rursus urget illud Tridentini sess. 6. cap. 10. *Justitiæ incrementum petit Ecclesia, cum orat: da nobis Fidei, Spei, & Charitatis augmentum.* Quo loco contendit agi non de habitibus, sed de actibus harum virtutum: tum infert; ergo in homine justificato præcedit actus Charitatis: nempe tamquam pręparatio, & quidem necessariò.

65. Resp. certissimum esse, agi illic de Charitate habituali: nam in titulo: *De* ACCEPTÆ IVSTIFICATIONIS *incremento,* manifestum est per *justificationem acceptam* non intelligi actus. In ipso vero capite ita loquitur Synodus: *Sic ergo* IVSTIFICATI, *& amici Dei ac domestici facti...... per observationem mandatorum Dei & Ecclesiæ in ipsa* IVSTITIA *per Christi gratiam* ACCEPTA, *cooperante Fide bonis operibus,* CRESCVNT *atque* MAGIS IVSTIFICANTVR. Negari nequit, quin in his rursus verbis agatur de incremento justitiæ habitualis. Tum proferuntur Scripturæ loca in quibus continetur veritas hactenus definita: Post quæ concludit Synodus his verbis. HOC *verò* IVSTITIÆ INCREMENTVM *petit S. Ecclesia, cum orat: Da nobis, Domine, Fidei, Spei, & Charitatis augmentum.* Quis non videt, dum dicit: HOC *justitiæ incrementum*, loqui Synodum de ea justitia seu justificatione, de qua prius egerat, hoc est, de habituali, non

autem de actibus, de quibus eo capite non alium in finem facit mentionem, quàm quòd contra hæreticos statuat, bona opera à justis exercita esse causam augmenti justificationis: quod evidentius redditur ex ejusdem sess. Canone 24. (qui respondet capiti decimo) ubi sic loquitur: *Si quis dixerit* IVSTITIAM ACCEPTAM *non conservari atque etiam* AVGERI *coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo, & signa esse* IVSTIFICATIONIS ACCEPTÆ, *non autem* IPSIVS AVGENDÆ *causam; anathema sit.* Constanter ergo Synodus tam in canone, quàm in capite loquitur de incremento justitiæ habitualis, adeoque etiam in verbis objectis agit de Fide, Spe, & Charitate habitualibus, quod etiam indicat vox *incrementum*, quâ aut æquivalenti ubique hîc utitur, & quæ actibus propriè non convenit. Accedit communis consensus sic intelligentium verba objecta, ex quibus multi probant, per actus justi bonos cum gratia intendi habitus reliquos. Videamus, quid novi opponat in Xenio.

66. Dicit 1. non intelligere se illam Philosophiam, quòd actus non accipiant propriè incrementum seu augmentum.

Resp. 1. mirum esse, quòd non intelligat, cum sit Philosophia communis, quòd actus intellectus & voluntatis sint naturæ fluxæ, nec alio sensu dicantur manere, quàm quòd priori immediatè succedat alius planè similis; si verò succedat intensior, intendi seu crescere: hoc autem non est propriè augeri aut intendi.

67. Resp. 2. si illi justi (pro quibus Ecclesia dicitur petere Fidei, Spei, & Charitatis incrementum) supponantur, post adeptam jam justificationem, elicuisse actus dictarum virtutum; licet gratis daretur, Ecclesiam illis petere incrementum actuum Fidei, Spei &, Charitatis; nihil juvaret causam Auctoris Xenii: nam stante hac hypothesi per actum Charitatis subsequentem, habebitur augmentum actus Charitatis, licet ante justificationem nullus præcessisset hujus virtutis actus: unde ex eo quod Ecclesia illis petat Charitatis incrementum, nullo modo inferri poterit: ergo elicuerunt actum Charitatis illo tempore, quo se disponebant ad justificationem. Ut igitur aliquis sit locus huic consequentiæ, necesse est agi de illis tantùm, qui post obtentam justificationem actus Fidei, Spei, Charitatis non elicuerunt. Ponamus ergo aliquem per actus Fidei, Spei, & Charitatis justificatum fuisse ante dies aliquot, hebdomadas, aut menses; à justificatione tamen hucusque non elicuisse actum v. g. Charitatis. Hoc posito, si hodie actus Charitatis eliciat, non poterit dici accipere augmentum illius dilectionis, quam elicuerat ante justificationem. Cui enim incidet dicere, quòd actus qui ab heb-

ab hebdomada aut mense planè desiit, crescat aut incrementum accipiat per actum hodiernum? ergo si huic hodie petat Ecclesia charitatem actualem, non rectè dicet, da illi charitatis actualis incrementum seu augmentum. Audi Sylvium 1.2. quæst: 113. art: 2. §. *Quæritur* 2. *Nostra formalis justitia*, *quam semel accepimus*, *crescit per observantiam mandatorum Dei, ut docet Concilium Tridentinum. Actus autem Charitatis & Contritionis, qui semel fuerunt exerciti, non crescunt per actus alios postea subsequentes, sed si qui postea exercentur ferventiores, sunt alii à præcedentibus.* Quo loco Sylvius ex eo, quod Concilium tradat nostram justitiam crescere, probat illam non esse actum sed habitum, quia præcedens actus per subsequentem non dicitur crescere seu incrementum accipere. Atque hæc fusiùs, quàm in re manifesta opus sit.

68. Objicit 2 ex ipso titulo capitis 10. contrarium colligi; quod sic probat: Certum est habitum Fidei & Spei (quidquid sit de habitu Charitatis) non pertinere ad formalem justificationem, ergo dum dicitur: *da nobis Fidei, Spei, & Charitatis augmentum*, non agitur de habitibus, sed de actibus Fidei, Spei, & Charitatis.

Resp. Undenam, quæso, certum est habitum Fidei & Spei non pertinere ad formalem justificationem? non enim ex aliqua efficaci ratione, neque etiam ex communi auctoritate: nam, ut ait Suarez Tom. 3. de gratia lib. 7. cap 9. multorum sententia est, justitiam formalem esse collectionem plurium habituum, & præcipuè Fidei, Spei, & Charitatis; pro qua citat Vegam, Scotum, Bellarminum, additque hanc videri apertam sententiam D. Thomæ productis ejus testimoniis. Et ipse Suarez, licet probabile censeat, solam gratiam habitualem (quam distinguit ab habitu Charitatis) esse justitiam essentialiter, seu quoad essentialia, dicit tamen nu. 10. gratiam *nihilominus non habere complementum, seu statum justitiæ sine aliis virtutibus infusis*; additque ex usu vocis certum esse, ad statum & complementum justitiæ simpliciter dictæ necessarios esse etiam alios habitus. Idem tenent Tannerus, Arriaga aliique. Hinc dico Tridentinum voluisse abstrahere ab illa quæstione Metaphysica, in quo præcisè consistat essentia justitiæ, & sumpsisse justitiam pro statu & complemento justitiæ, adeoque prout reliquos habitus supernaturales involvit, ut patet ex initio capitis septimi, ubi justificationem definiens, dicit eam esse renovationem interioris hominis per susceptionem *gratiæ & donorum*. Eorum nempe, quæ paulò post exprimit, Fidei, Spei, & Charitatis: ergo ex eo, quod cap. 10. petatur Fidei, Spei, & Charitatis augmentum non rectè infertur, non agi istic de augmento justitiæ habitualis.

quàm se aliò respexisse, quod à me non fuerit perspectum. Sic est, non perspexi, nec mirum: mihi enim tales non sunt oculi, ut, dum quis Tridentinum objicit, videre queam, quòd aliud quid, ab eo, quod Synodus dicit, diversissimum opponere intendat. Si aliò respiciebas, cur verba Tridentini nihil eò facientia adduxisti? Videamus tamen hoc argumentum jam in aliud transformatum.

73. Dicit igitur: Ad SS Patrum Pœnitentiam me referebam, qui soliti fuerunt per varios labores, corporis afflictationes, fletus, pœnitentiæ actiones &c. experiri, fucatane esset an vera pœnitentia: Quid autem opus esset tanta exploratione, si sufficeret dolor ex metu gehennæ? vix enim reperies peccatorem, qui aliquo timore gehennæ non sit perculsus. Amor autem Dei sincerus & castus, quo Deus propter se diligitur, nullâ proprii commodi vel incommodi habitâ ratione, in paucioribus reperitur. Unde SS. Patres variis indiciis explorabant, an seriò ex amore Dei pœniterent.

74. Resp. 1. hoc argumentum non habere fundamentum in verbis Tridentini, in quo nulla hujus consuetudinis fit mentio, sed tantùm dicitur, quòd pœnitentiam vocarint SS. Patres laboriosum Baptismum, quia Baptismus tribuit plenam & perfectam remissionem omnium peccatorum, nempe tam quoad pœnam, quàm culpam, *ad quam novitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus & laboribus pervenire nequaquam possumus.*

75. Resp. 2. licet PP. quandoque in magnis quibusdam peccatoribus sumpserint tale experimentum, id tamen non faciebant in omnibus, qui in mortale aliquod inciderant; & tamen dolor, qui in his necessarius est, non debet esse ex alio motivo, quàm in illis, ergo id in illis magnis criminibus non fiebat præcisè, ut constaret eos pœnitere ex amore Dei.

Resp. 3. ex illis actionibus pœnitentiæ, fletibus, corporis afflictationibus, potuerunt quidem Patres aliquo modo colligere, an seriò vellent vitam in melius mutare, & an in hoc futuri essent constantes; non apparet tamen quomodo potuerint colligere eos pro motivo habere potiùs dilectionem Dei, quàm spem gloriæ, aut metum gehennæ,

76. Resp. 4. non omnia, quæ faciebant in hac re Patres, erant essentialia aut necessaria ad valorem & fructum Sacramenti. Aliàs enim de necessitate Sacramenti quandoque esset multorum annorum pœnitentia & quidem publica ante absolutionem Sacramentalem.

Resp. 5. An ergo censet hic Auctor, ad Sacramentum non sufficere dolorem ex amore Dei, si simul adsit dolor ex motivo timoris aut Spei? id enim indicare videntur hæc illius verba: *Amor Dei sincerus & castus, nullâ proprii commodi aut incommodi ratione.*

CAPUT II.

Examinatur doctrina Confessionistarum de Contritione.

ALiqua ex Lutheranorum Confessionibus contra nos in Epistola sua Familiari deprompserat Exim. P. Lupus, quibus tamen respondere tunc nolui, quòd meliorem exspectarem opportunitatem. Intellexeram enim Xenium Exim. P. Farvacques sub prælo esse, neque dubitabam, quin petitum ex Confessionistis argumentum, quod aliquando in publica disputatione proposuerat, plenè & accuratè in hoc suo scripto esset deducturus, quod præstiut Xenii cap. 2.

77. Dixeram in tract. de Attrit. num. 173. ex eo, quod Lutherus admiserit *terrores*, non rectè inferri, quòd sententiam nostram tenuerit, cum Attritio nostra non sint nudi & hebetes terrores; quare addidi, ab Auctore Quodlibeticæ, ut aliquid ageret, ostendi debuisse, quòd Lutherus aut Lutherani alicubi docuerint, in Sacramento Pœnitentiæ ad justificationem sufficere dolorem de peccatis, & propositum vitę novæ ex solo motivo timoris: sive uno verbo, quòd admiserint Attritionem *prout* ea in nostra sententia à suis Auctoribus explicatur.

Ad quę ita respondet Auctor Xenii pag. 35. *Quia verò movet me officii, & quid ostendere debuerim indicat, parebo monitioni, & injectæ mihi obligationis debito me exolvam.* Et infra pag. 38. tamquam re ex voto confectâ, concludit: *Atque iis, quæ tribus hisce paragraphis dicta sunt, spero me præstitisse, quod exigebat Adversarius.* Et tandem pag. 39 ait: *ex dictis hoc capite manifestum est, quàm non de nihilo dixerim in Quæst. Quodlib. nobis & Adversariis aliquid esse cum Lutherana doctrina commune, & aliquid diversum, quodque comparatione Lutheri habeamus nos, juxta phrasim Philosophorum, ut excedentia & excessa.* Quæ omnia sine fundamento dicta esse, patebit ex tradendis hoc capite, in quo, quænam fuerit duplex illa Lutheranorum sententia, examinabimus.

78 Ac primò quidem manifestum est, Lutherum initio defectionis suæ, & præsertim in sermone de Pœnitentia rejecisse omnem pœnitentiam, quæ concipitur ex metu, spe, aut alio simili motivo ab amore distincto, & pronuntiasse, peccatorem adferentem talem pœnitentiam absolutione indignum esse: solam verò illam, quæ ex amore concipitur, esse veram pœnitentiam, & absolutione dignos reddere. Hæc autem est ipsissima sententia Adversariorum; unde fatetur hic Auctor Quæst.

Quodlib.

Quodlib. pag. 52. hoc sibi cum Luthero commune esse, quod initio defectionis suæ docuerit pœnitentiam omnem debere ex amore concipi.

79. Porrò quod §. 2. ait P. Farvacques, in hac sententia non perstitisse Lutheranos, sed, ut in plurimis aliis, ita quoque in hoc puncto, non sine Lutheri approbatione, diversam à priori de justificatione peccatoris tradidisse doctrinam, planè admitto, tamquam rem certam & indubitatam; agnovit etiam ipsa Synodus Tridentina utramque hanc hæreticorum diverso tempore doctrinam, & quid de utraque sentiendum sit nos docuit, ut videbimus in fine hujus capitis.

Convenit ergo inter nos de priori Lutheri sententia, qualis ea fuerit; item quòd in illa Lutherani non perstiterint, sed in aliam planè diversam abierint. Quare tantummodo hic examinandum, quænam fuerit posterior Lutheranorum de Pœnitentia doctrina, & an hæc aliquid habeat cum nostra sententia commune, quod affirmat Auctor Xenii.

80. Constat Lutheranos, postquam à doctrina Lutheri tradita in famoso illo sermone de Pœnitentia, inceperunt deficere, duas hasce satis constanter pœnitentiæ partes statuisse: alteram Contritionem seu incussos conscientiæ agnito peccato terrores; alteram verò fidem, seu præsumptuosam illam fiduciam, qua peccator certò, & sine ulla dubitatione aut hæsitatione sibi persuadet ac credit peccata sibi per Christum remitti Sic tamen ut postremæ parti, nempè Fidei, tribuerent justificationem, licet terrores illos, qui ipsis erant contritio, prærequirerent; & hac ratione explicabant suum illud commune dogma, quòd sola fides justificet. Hæc adeo manifesta & obvia sunt sive in Catholicorum, sive in hæreticorum scriptis, ut necesse non sit horum testimonia transcribere.

81. Quoad primam dictarum Pœnitentiæ partium, nempe Contritionem, certum est hæreticos eam initio explicasse per solos terrores incussos conscientiæ agnito peccato, nulla facta mentione doloris de peccatis præteritis, aut propositi in posterum. Ita explicuit primigenia Lutheranorum confessio exhibita Cæsari in Comitiis Augustanis anno 1530. unde in exemplari Confessionis impresso Wittebergæ anno 1531. ita habet articulus 12. *Constat Pœnitentia propriè his duabus partibus: altera est Contritio, seu terrores incussi conscientiæ agnito peccato. Altera est fides, quæ concipitur ex Evangelio, seu absolutione, & credit propter Christum remitti peccata, & consolatur conscientiam, & ex terroribus liberat.* Hactenus Confessio originalis. Unde & Joannes a Daventria in dictæ Confessionis exegesi scripta anno 1535. non alia profert ex Confessione verba, quàm quæ

jam recensuimus, prout in ipso videre est pag. 177. Dico non alia protulisse ex Confessione Augustana: nam verba adversariorum quæ postea adducit pag. 182. in quibus Contritio explicatur per dolorem de peccatis, non sunt verba Confessionis Augustanæ, ut perperam aliquis putavit, sed sunt verba Philippi Melancthonis in dictę Confessionis Apologia. Similiter David Chytreus Rostockiensis in Augustanæ Confessionis historia impressa Antverpiæ 1582. hanc prout Cæsari oblata est referens, non alia exhibet verba, quàm superiùs relata, non facta doloris mentione.

82. Cœpit ergo Melancthon in dicta Apologia doloris de peccatis in Contritione mentionem facere, & sic aliquantulum, ut inquit Daventria, sese corrigere. Sic enim habet dicta Apologia: *De Contritione præcidimus illas otiosas & infinitas disputationes, quando ex dilectione Dei, quando ex timore pœnæ doleamus. Sed dicimus Contritionem esse veros terrores conscientiæ, quæ Deum sentit irasci peccato*, & DOLET SE PECCASSE. Hunc dolorem pluribus exponit Confessio Augustana in posterioribus editionibus aucta & alterata, nam impressa anno 1553. sic habet: *Constat Pœnitentia, id est conversio impii propriè his duabus partibus: Altera est Contritio, hoc est terrores incussi conscientiæ agnito peccato, in quibus & iram Dei agnoscimus*, & DOLEMVS NOS PECCASSE, ET PECCATA DETESTAMVR ET FVGIMVS. *Altera est fides* &c. Similiter Confessio Wittebergensis & Saxonica in explicatione Contritionis loquuntur de *dolore*, & *pavore* animi.

83. Hoc igitur etiam inter nos convenit, admissum postea à Lutheranis fuisse dolorem de peccatis. Propositum vitandi in posterum peccata, in nulla Confessione Lutherana reperio expressum. At, inquit P. Farvacques, propositum virtute includitur in dolore de peccatis, propositi insuper meminit Lutherus. Ita sit, jam videamus, quale sit illud propositum, aliaque quæ circa hanc postremam hæreticorum de Contritione sententiam advertenda sunt.

84. Primò sive Confessionistæ per dolorem de peccatis inclusum in Contritione, intellexerint etiam propositum non peccandi de cætero, sive non: hoc constat, quod non intellexerint dolorem & propositum efficax, seu excludens voluntatem peccandi, & actuale peccatum. Manifestum id est ex duplici capite: primum est, quòd constanter inculcent, Contritionem, qualem ipsi statuebant, seu terrores illos ac dolorem quò majores sunt, eò fortiùs ac certiùs pertrahere peccatores in desperationem, odium Dei, ac exitium sempiternum, nisi huic Contritioni accesserit altera, quam assignant, Pœnitentiæ pars, nempe fides illa firma, & minimè hæsitans, qua peccator certò credat peccata propter

Christum

Christum sibi esse remissa. Ita tradit pluribus locis Melanchthon in Apologia, Confessio Wittebergis titulo de Contritione, Confessionistæ in Recusatione Tridentini pag. 303. 306. & alibi.

85. Alterum & præcipuum caput est, quod Lutherani agnoscant, in iis, qui actu gravissimè peccabant ex desperatione se interimendo, fuisse veram Contritionem primam Pœnitentiæ partem, qualem ipsi requirebant; imò hos ipsos desperantes asserebant habuisse Contritionem non parvam nec vulgarem, illisque ad justificationem nihil quidquam defuisse ex parte Contritionis, sed solam defuisse alteram Pænitentiæ partem à priori distinctam, nempe vanam illam de remissis peccatis fidem. Sic Melanchthon in Apologia Confess. Augustanæ Tit: de Pænitentia, cum retulisset sententiam Catholicorum docentium peccatores Contritione mereri gratiam, subdit: *Ubi si quis* (Catholicos) *interroget, quare Judas & similes non consequantur gratiam, qui* HORRIBILITER CONTRITI SUNT. *Hic de Fide & Evangelio respondendum erat, quòd Judas non crediderit, non erexerit se Evangelio & promissione Christi. Fides enim ostendit discrimen inter Contritionem Judæ & Petri.* Ubi vides juxta Apologistam, quòd actus ille, qui in Juda de facto simul stabat cum gravissimo desperationis & homicidii peccato, habuerit omnia, quæ ipsi ad Contritionem primam Pænitentiæ partem requirebant, quæque sufficiens esset ad justificationem, dummodo accederet altera Pænitentiæ pars, nempe fides firma de remisso peccato. Neque juxta illos pœnitentia Petri à Pænitentia Judæ differebat penes Contritionem, sed tantùm penes alteram Pænitentiæ partem, quòd nimirum in Petro accesserit Fides, quâ caruit Judas, licet alioqui insigniter contritus. Similiter Confessio Wittebergensis oblata Concilio Tridentino anno 1552. sic habet Tit. de Contritione: *Testantur exempla Cain, Esau, Saülis, Judæ Iscariotis & aliorum, quòd Contritio non sit meritum remissionis peccatorum. Hi enim etsi* TANTAM *habuerint* CONTRITIONEM, *ut tollerabilius illis visum fuerit, vitam sibi aut laqueis, aut gladiis abrumpere, quàm* HORRIBILES *illos* DOLORES *perferre, tamen non sunt remissionem peccatorum consecuti.* In quæ hujus Confessionis verba ita scribit Petrus à Soto in scholiis Catholicis pag. 36. lit. H. *Hic ostendunt, quàm præposterè de Contritione loquantur: contritio illa fuit, sed qualis in damnatis.... Nullus Catholicus sensus umquam horum veram Contritionem putavit.* Denique apertissimè Melanchthon in Apologia Tit. de Pænitentia: *Ideo Judæ aut Saülis contritio non prodest, quia non accedit ad eam hæc fides apprehendens remissionem peccatorum donatam propter Christum. Ideo prodest Davidis aut Petri contritio, quia ad eam Fides accedit apprehendens remissionem peccatorum.*

86. Judas ergo aliique similes habuerunt, in sententia Confessionistarum *magnam Contritionem*, habuerunt *horribiles dolores:* certum tamen est in Juda aliisque non potuisse esse dolorem ac propositum excludens positivè omnem voluntatem peccandi, cum illa Contritio & dolores de facto starent cum gravissimo desperationis & homicidii peccato. Quamvis igitur Lutherani Contritionem postea explicarint non per solos terrores, sed insuper per dolorem de peccatis, imò, si velis, etiam per propositum in posterum; Constat tamen non statuisse dolorem ac propositum tale, quale nos requirimus, sed planè aliud, quale nempe est in damnatis, ut dicebat Soto.

87. Secundò Contritio, quam primam Pœnitentiæ partem statuebant Lutherani, non habebat adjunctam Spem veniæ. Manifestum id est ex jam dictis: fatebantur enim in Juda fuisse insignem Contritionem, in quo tamen, cum de facto desperarit, non potuit simul adfuisse Spes veniæ. Imo Spem venię, qualem cum Tridentino requirunt Catholici in Contritione prima Pænitentiæ parte, dicti hæretici non tantùm reprobabant tamquam insufficientem pacandis conscientiis, sed insuper peccati ac impietatis damnabant: hujus autem loco substituebant fidem illam firmam ac minimè hęsitantem de remisso peccato; eam insuper fidem nolebant spectare ad primam Pænitentię partem nempe Contritionem, sed volebant esse alteram Pænitentiæ partem à priore seu Contritione diversam.

Hęc omnia manifesta sunt ex hæreticorum Confessionibus aliisque scriptis, in Confessione Wittebergensi; in Saxonica titulo de Pænitentia, in Confessione Augustana impressa anno 1553. in articulis fidei præcipuis num. 5. Denique Confessionistæ in Recusatione Tridentini ad Canonem 13. & 14. sess. 6. ita loquuntur pag. 303. *Patres Tridentini errores erroribus cumulantes addunt, de remissione peccatorum & gratia oportere hominem semper dubitare, neque fas esse, ut hac de re firmiter & sine dubitatione apud animum constituat certò sibi remissa esse peccata .... Hoc quid aliud est, quàm religionem omnem, omnemque pietatem penitus evertere atque abolere? aut, vel in securitatem ethnicam & epicuream convertere, vel in impiam ac diabolicam desperationem & fremitum transformare universa.* Hæc & plura impiè ac imprudenter dicto loco Recusantes.

88. Tertiò terrores hos & dolores volebant hęretici esse Contritionem primam pęnitentiæ partem, licet in illis nullus involveretur respectus ad confessionē, & satisfactionē, sive sine proposito confitendi & satisfaciendi. Omnem enim satisfactionē nostram reiiciebant ut injuriosam Christi satisfactioni, confessionem verò homini factam negabant esse necessariam

riam: dicebant tamen se illam retinere duabus de causis: 1. ut rudes in privato hoc colloquio instruerentur: 2. ut audito Euangelio de remissione peccatorum, fides illa firma vel conciperetur, vel augeretur. Ita Confessio Augustana tit: de bonis operibus, Confessio Wittebergensis &c.

89. Quartò denique asserebant Lutherani, quòd terrores illi essent ultima & sufficiens dispositio, ut accedente sola illa hæretica Fide, alterâ Pœnitentiæ parte, peccator justificetur, & negabant ac explodebant omne opus operatum Sacramenti Pænitentiæ: ut videre est in Confessione Augustana impressa anno 1553 num. 13 pag. 9. & passim alibi.

90. Ea quæ hactenus circa Contritionem a Lutheranis requisitam annotavimus, jam pridem animadvertit Tapperus, qui cum art. 3. pag. 102. protulisset ex Confessione Augustana posterioris alicujus editionis, hanc sententiam; *Pænitentia hoc est conversio impii constat propriè ex duabus partibus: quarum altera est Contritio, id est terrores incussi conscientiæ agnito peccato, in quibus & iram Dei agnoscimus, & dolemus nos peccasse, & peccata detestamur & fugimus. Et altera pars est Fides &c.* Postea explicans quid in hac doctrinâ perversum sit ac perniciosum, ita loquitur ad Artic. 4. pag. 114. col. 2. *Perniciosa est doctrina, quæ asserunt, etiam hos terrores esse partem Pœnitentiæ nullo habito respectu confessionis & satisfactionis, quodque est immediata & ultima dispositio, ut Fide accedente justificemur, quæ omnia erronea sunt & perniciosa. Nec enim possunt terrores illi esse Contritio, quam Deus despicere non potest, cum his terroribus affectum Deus plerumque despiciat. Nam esse possunt in desperante sine Fide & Spe veniæ. Imo secundum adversarios* (id est Confessionistas) *in desperationem ducunt nisi accesserit Fides.* Tum huic erroneæ hæreticorum sententiæ opponit Tapperus aliam, quam & approbat, sic enim ibidem nullis interpositis prosequitur: *Si tamen quis consideratione peccati, & ira Dei, velit se submittere correctioni & clavibus Ecclesiæ, vitam emendare instituens, videtur hic sufficienter præparatus, ut virtute Sacramenti ei peccata remittantur. Nec oportet, quod iste dolor peccati & terrores ex immoderato sui amore proficiscantur: quia sicut quædam sunt honesta & appetibilia secundum se, ut virtus, honor, sanitas & vita: ita quædam secundùm se sunt fugibilia: quale est peccatum & supplicium gehennæ.* Hic admittit Tapperus dolorem qui ex agnito peccato & consideratione iræ Dei concipitur, quem pronuntiat esse ex amore sui, non tamen inordinato, videri sufficere ad justificationem cum Sacramento, dummodo sic dolens statuat vitam emendare, & se submittere correctioni & clavibus Ecclesiæ; adeoque manifestè approbat nostram sententiam, eamque ut sanam opponit erroneæ Lutheranorum doctrinæ: tantùm abest, ut

illam putarit vel in minimo cum hac consentire.

91. Quamvis ergo Confessionistæ terrores suos explicarent per dolorem de peccatis, horumque detestationem ac fugam; illorum nihilominus sententiam in multis pronuntiat Tapperus perniciosam & erroneam. 1. quòd in his terroribus nullus includeretur respectus ad Confessionem & satisfactionem. 2. quòd terrores ab Hæreticis asserti non haberent necessariò adjunctam spem veniæ. 3. Quòd essent tales, ut si in illis sisteretur essent via recta ac certa ad desperationem, ac proinde voluntatem peccandi nullo modo excluderent. 4. Denique quòd terrores illos, conjunctumque qualem qualem dolorem vellent esse dispositionem immediatam & ultimam, sic ut solâ Fide accedente peccator justificetur. Quæ omnia cum Tappero perniciosa & erronea censemus, iisque contraria docemus.

92. Nam Hæretici non admittebant alium dolorem seu Contritionem, quàm quæ, si sola sit, viam sternat ad desperationem, & quæ esse possit, imò de facto fuerit in Juda aliisque cum actuali desperatione suique interemptione. Nos tamen dolorem, ex quocumque demum motivo dicatur concipi, rejicimus ut insufficientem etiam cum Sacramento, requirimusque actum, qui positivè excludat omnem voluntatem peccandi, sic ut cum illo peccatum mortale actuale componi nequeat.

Hæretici in Contritione prima Pænitentiæ parte non complectebantur Spem veniæ, sed hanc ut malam ab ea positivè repellebant. Nos è contra cum Tridentino asserimus, in Attritione spem veniæ involvi debere.

Volebant Hæretici terrores illos doloremque esse primam partem Pænitentiæ, sine respectu ad Confessionem & satisfactionem. E contra in omni Contritione, sive perfecta, sive imperfecta, asserimus includi debere votum Sacramenti, adeo ut etiam in Contritione perfecta isti voto adscribenda sit reconciliatio.

Denique Lutherani statuebant suos illos terrores doloremque esse dispositionem proximam & sufficientem ut accedente sola vana ista fiducia peccator justificationem consequatur. Nos verò indubitatè asserimus, Attritionem nostram, licet spem veniæ adjunctam habeat, & omnem prorsus peccandi voluntatem positivè excludat, nullo modo tamen sufficere ad reconciliationem sine opere operato actualis Sacramenti.

93. Quid igitur proferet P. Farvacques, quo ostendat Lutheranos post desertam [illegible]iorem Lutheri (quæ & Adversariorum est) de Pænitentia

tentia

tentia & justificatione doctrinam, in nostram sententiam concessisse, aut nobiscum aliquid habuisse commune? Neque enim, ut arbitror, dicet, illos nobiscum admisisse terrores seu timorem, nam hunc non admittit tantùm P. Farvacques, sed insuper asserit, timorem in omni justificatione intervenire, illumque à Catholicis nullo modo rejici fatetur Xenii pag. 39.

94. Ex his manifestum est etiam ipsi Auctori Xenii, quòd nullo modo præstiterit id, quod facturum se promittit pag. 35. & de quo tamquam ritè peracto sibi gratulatur pag. 38. & 39. Id enim ut præstaret, ostendere debuerat, quòd vel Lutherus, vel Confessionistæ deserta priore sententia docuerint, dolorem de peccatis ex motivo metus gehennę, una cum spe venię & proposito non peccandi de cętero, per quę positivè excludatur omnis voluntas peccandi, sufficere cum Sacramento Pænitentię ad justificationem vi operis operati ipsius Sacramenti sine quo nullo modo haberetur reconciliatio. Quod cum ostendere non possit, necesse est ut fateatur, suam sententiam cum priore Lutheranorum doctrina quoad actum cum Sacramento requisitum concordem esse, nobis cum neutra quidquam esse commune.

95. Advertere operę pretium est; postquam Lutherani, rejectâ necessitate confessionis & satisfactionis, omnique opere operato Sacramenti, tradere inceperunt justificationem obtineri seu apprehendi sola Fide, quæ conscientiam perterrefactam quietam reddit: adeoque cum jam agerent de justificatione, quæ secluso Sacramento ejusque virtute obtinetur per solos actus peccatoris nempe terrores & fidem: Catholicis necesse non erat, imò abs re fuisset, ex professo contra illos tractare, quis actus accedente virtute Sacramenti actualis sufficeret ad remissionem peccatorum. Sed, quia sectarii Sacramenti necessitate ac virtute eliminata solos actus peccatoris ad illum effectum requirebant, debuere Catholici aliò arma convertere, nempe ut evincerent terrores & fidem minimè sufficere, sed requiri amorem Dei propter se super omnia dilecti. Hinc factum, ut, sicut Lutherani in suis confessionibus, ita quoque Catholici in earumdem refutatione vocem *Contritio* sumerent pro Contritione justificante sine actuali Sacramento. Sic Petrus à Soto ad hæc Confessionis Wittebergensis verba: *Contritionem vocamus sensum divinæ iræ, seu dolorem & pavorem animi ex agnitione magnitudinis peccatorum, & gravitatis iræ Dei ortum.* Ad hæc, inquam, verba in scholiis Catholicis hęc addit Soto: *Adde & vera Dei dilectione, ipsum super omnia bona æstimantes sine hac verò, de qua dictum est, dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum, Contritio non vera est.* Et paulò infra pag. 36. lit. H. indicat se supra descripsisse

scripsisse Contritionem perfectam: quod ipsum pluribus ex Soto ostendi in Respons. ad Epist. Famil pag 61. num. 117. Similiter Tapperus agens contra Confessionistas in verbis supra citatis ait: *Nec enim possunt terrores isti esse Contritio, quam Deus despicere non potest.* Ubi agit de Contritione perfecta, & justificante sine Sacramento, ut indicant illa verba, *quam Deus despicere non potest*, quo eodem loquendi modo paulò ante nempe pag. 113. descripserat Tapperus Contritionem prout distincta est ab actu, qui requiritur in Sacramento.

96. Atque hinc colligere licet 1. Quòd Auctores illi, qui ex professo Confessionistas impugnarunt, ut fecerunt Alphonsus Virvesius, Petrus à Soto, Joannes à Daventria, aliique perperam nobis opponantur, tamquam à sententia nostra dissidentes, ex eo, quòd dicant ad Contritionem requiri charitatem aut amorem Dei etiam super omnia. Cum enim sublato Sacramento ejusque virtute controversia esse non possit, quis sit actus, qui cum Sacramento sufficiat, non tamen sine illo, tota cum hæreticis in hoc versabatur controversia, an terrores illi cum sola Fide justificarent, quod negabant Catholici, contendebantque requiri insuper Charitatem Dei super omnia ad Contritionem, nempe illam, de qua erat quæstio, quæ independenter à Sacramento peccata tollit. Patet id ex Joanne à Daventria, qui ad art: 11. Confessionis Augustanæ, cum protulisset verba Melancthonis damnantis hanc propositionem Catholicorum, *quod per Attritionem mereamur gratiam*: ita respondet: *Quòd per Attritionem mereamur gratiam, si recte intelligatur certissimum est, multoque clarissimum. Sacramentum enim Baptismi cum Fide & dolore de peccatis, & cum proposito melioris vitæ acceptum justificat & salvat. Sic & attritus, id est suorum pœnitens peccatorum, cum ex F. le petit & quærit divinam gratiam, suscipitque Pœnitentiæ Sacramentum, eam haud dubie suscipit, ac de congruo suscipere meretur. Itaque hoc modo de attrito meretur quispiam fieri contritus.* Tum infra ad aliam, quam Apologista ibidem damnat, sententiam, nempe *Quod propter Contritionem, non Fide in Christum, consequamur remissionem peccatorum*; respondet Daventria, hoc non docuisse Catholicos: *Noverunt enim*, inquit, *veram Contritionem numquam haberi posse, nisi per Fidem Charitate formatam, licet per Fidem informem, ut jam diximus, atteri possit peccator.* Ecce pronuntiat Attritionem non esse ex motivo Charitatis, illam nihilominus cum Sacramento mereri gratiam indubitanter asserit. Et tamen tum hic tum alibi ad veram Contritionem requirit Charitatem; nimirum per Contritionem intelligens actum sine Sacramento justificantem, de quo cum Confessionistis erat disputatio.

97. Collige 2. quid sibi voluerint multi Catholici, dum hanc Con-

fessionistarum

fessionistarum sententiam impugnantes sæpe asserebant, terrores non esse veram pœnitentiam aut Contritionem, sed ad hanc solummodo præparare. Cum enim Lutherani agerent de justificatione independenter à virtute Sacramenti (quam nullam agnoscebant) Catholici in subjecta materia loquentes, nempe de justificatione à virtute Sacramenti independente, negabant terrores esse veram Contritionem aut Pœnitentiam (nempe in sensu controverso) contendebantque metum esse tantummodo viam ad veram pœnitentiam seu Contritionem, nempe quę sine Sacramento reconciliat. Sic Tapperus, cum in verbis relatis supra num. 90. dixisset terrores illos non esse Contritionem, quam Deus despicere non potest, subjungit: *Et ideo hic metus, qui adducit dolorem de peccatis, præparat ad veram pœnitentiam* (sive, ut loquitur infra, *ad veram Contritionem*) *per quam peccata remittuntur.* Quo loco agit de actu sine Sacramento actuali justificante; tum, quia addit, per quam *peccata remittuntur*, quod non competit Attritioni, quia in attrito peccata remitti dicuntur per Sacramentum; tum quia in verbis eodem num. 90. citatis, item relatis tract. de Attritione num. 278. manifestè admittit nostram Attritionem cum actuali Sacramento sufficere Asserit igitur metum non esse Contritionem antonomasticè dictam, sed ad hanc tantùm præparare metum, qui adducit seu conjunctum habet dolorem de peccatis.

98. Denique ut absolvam; duas diversas principales de Justificatione sententias diverso tempore tradiderunt Lutherani: de utraque etiam diversis locis tractat Tridentinum. De priore sententia à Luthero tradita in serm. de Pœnit. agit sess. 14. cap. 4. ut sæpe ostendimus. De sententia verò Confessionistarum ad justificationem requirente terrores tantummodo & fidem, agit sess. 6. & 14. ac primò quidem sess. 6. cap. 9. fidem ab hæreticis assertam reprobat tamquam *inanem, vanam, & ab omni pietate remotam fiduciam.* Sess. vero 14. cap 3. postquam definiverat tres esse Pœnitentiæ partes Contritionem, Confessionem, & satisfactionem, damnat eos, qui Pœnitentiæ partes, incussos conscientiæ terrores, & fidem esse contendunt, prout contendebant Confessionistæ, volentes has esse Pœnitentiæ partes & quidem solas. Unde Canone 4. ejusd. sess. qui Canon respondet dicto capiti tertio ita loquitur Synodus: *Si quis dixerit, duas tantùm esse Pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio, quâ credit quis, sibi per Christum remissa peccata; anathema sit.*

99. Notatu dignum hîc est, licet Confessio Wittebergensis Concilio Tridentino oblata anno 1552. in Contritionis explicatione meminerit doloris, & Confessio Augustana in posterioribus editionibus; ut vidi-

mus, in prima Pœnitentiæ parte statuat dolorem de peccatis, quod & fecerat Melancthon; nihilominus Tridentinum eorum Contritionem recensens nullâ factâ doloris mentione solùm dixerit, *terrores incussos conscientiæ agnito peccato*, quæ sunt ipsissima verba, quibus primam pœnitentiæ partem expressit Confessio originalis Augustana. Unde hanc solam videtur respexisse Tridentinum relictis aliis posterioribus hæreticorum descriptionibus, fortè quia hæ multùm ab invicem discrepabant, vel quia dolor, quem posteriores statuebant, utpote consistens cum peccato actuali, ut hoc capite ostensum est, non merebatur nomen doloris ad justificationem requisiti.

CAPUT III.

An Tridentinum sess. 14. *cap.* 4. *nomine* Attritionis *intellexerit proximam dispositionem ad justificationem?*

SUpposuerat in sua Quæstione Quodlibetica passim Exim. P. Farvacques, dicto loco Tridentini sermonem esse de dispositione proxima; ac responsionem illorum, qui volunt illic agi de dispositione remota, indicarat quidem breviter, ne quid deesset, eam tamen, utpote sibi non necessariam, missam fecerat. In Xenio cap. 3 pag. 39. totus est in probanda hac posteriore explicatione, nempe d. dispositione remota: Hoc dum facit, plurima, quæ ante fusè probaverat & conatus fuerat evincere, planè subvertit ac enervat. Contenderat illa verba Tridentini: *Illam verò Contritionem imperfectàm, quæ Attritio dicitur..... si voluntatem peccandi excludat.* &c. intelligenda esse de dolore, qui concipiatur ex aliquo Dei propter se amore, quod hîc negat. Rursùs in Quæst. Quodlib. Argumento 8. pag. 38. §. 1. & 2. multis urserat, quòd negativè excludere voluntatem peccandi, non sit verè excludere, adeoque quòd verba Tridentini; *Si voluntatem peccandi excludat*, intelligi debeant de exclusione positiva, id est, sic ut voluntas peccandi cum actu, de quo loquitur Synodus, consistere nullo modo possit, & in hoc fundabat totum argumentum octavum Quæstionis Quodlib. quod reliquis prolixius est. At in Xenio pag. 45. argumento à me facto respondens recurrit ad exclusionem peccati negativam, tamquam verbis Concilii salvandis sufficientem, additque ea, quæ alibi dixerat de exclusione positiva, dicta esse dissimulanter, & censeri debere sublata. Sicque, quod

priùs

priùs operosè probaverat, uno verbo hîc destruit; adeo parùm efficacia, vel ipso judice, fuerunt argumenta.

Porrò quia ad solutionem eorum, quæ pro explicatione de dispositione remota de novo profert, necessarium est, præ oculis habere tam verba Lutheri, quàm Tridentini, ea rursus (ut etiam fecit Auctor Xenii) hic subjiciemus.

100. Lutherus serm. 2. de Pœnit: *Contritio (sic enim cœpit vocari vera pœnitentia interior) duplici viâ paratur Primò per discussionem, collectionem, detestationem peccatorum, quâ quis, ut dicunt, recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum, gravitatem, damnum..... ac æternæ damnationis acquisitionem ... Hæc autem contritio facit hypocritam, imò magis peccatorem, quia solum timore præcepti, & dolore damni id facit. Et tales omnes indignè absolvuntur & communicantur ..... Imò quo magis timore pœnæ & dolore damni sic conteruntur, eò magis peccant, & efficiuntur suis peccatis, quæ coguntur, non autem volunt odisse. Et hæc est illa contritio, quam ipsi vocant extra Charitatem non meritoriam, alii vocant attritionem proximè disponentem ad contritionem, sic enim ipsi opinantur, quam opinionem errorem ego judico.* Additque amorem justitiæ facere verè pœnitentem & dignum absolutione.

101. E contra Tridentinum sess. 14. cap. 4 *Illam verò Contritionem imperfectam quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ; declarat non solùm non facere hominem hypocritam & magis peccatorem; verùm etiam donum Dei esse & Spiritus S. impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit....... Quamobrem falsò quidam calumniantur Catholicos scriptores quasi tradiderint Sacramentum pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod numquam Ecclesia Dei docuit aut sensit. Sed & falsò docent contritionem esse extortam & coactam, non liberam & voluntariam.*

102. Deinde in Canone 5. qui respondet capiti citato, ita loquitur: *Si quis dixerit eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam & magis peccatorem; demum illum esse dolorem coactum & non liberum ac voluntarium; anathema sit.*

§. I.

Respondetur ad argumenta, quibus probat dicto loco Synodum loqui de dispositione remota.

AUctor Xenii cap. 3. §. 4. pag. 42. quatuor adfert indicia seu argumenta, quibus conficere nititur, Tridentinum sess. 14. cap. 4. ubi agit de Attritione, intelligi debere de dispositione remota.

103. PRIMUM INDICIUM SEU ARGUMENTUM. Attritio, de qua Tridentinum, *ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ* IMPETRANDAM *disponit*. Quare non dicitur quòd Dei gratiam impetret, vel conferat?

Resp. non debuisse his potiùs, quàm illis verbis uti, sufficit quòd mentem suam clarè exprimat, quod hic facit, Nam quiscumque demum sit ille actus doloris, qui ad justificationem necessariò requirit consortium actualis Sacramenti, verissimè de illo dicetur; *ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Cum enim talis actus se solo ad justificationem perducere, seu illam impetrare non possit, sed necesse sit accedere Sacramentum, quo, quod illi actui deest, suppleatur, per illa vasa gratiæ & meritorum Christi, rectissimè dicitur, quòd illa Attritio nos disponat ad impetrandam Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ. Neque, credo, negabit Auctor Xenii Attritionem, qualem ipse statuit, impetrare gratiam, aut ad eam in Sacramento impetrandam disponere; cum ipsemet hæc verba: Attritio *ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*; explicet de Attritione, quæ proximè disponit ad illam *gratiam*, de qua illic loquitur Synodus; ut ostendam infra num. 116. Nihil ergo subsidii pro sua sententia habet ex illo loquendi modo.

104. Instat 1. cur dicitur quod disponat ad impetrandum, nisi quia disponit mediante impetratione?

Resp. 1. cur ipse Auctor Xenii hæc ipsa verba alibi intelligit de dispositione proxima, seu non mediante impetratione? ut dicam num. 116.

Resp. 2. ideò dici disponere ad impetrandam gratiam in Sacramento, quia non est dispositio sufficiens ad impetrandam gratiam sine consortio actualis Sacramenti, licet sufficienter disponat ad susceptionem Sacramenti, unde revera aliquid mediat inter illam dispositionem, nempe Attritionem, & impetrationem gratiæ, ipsa nimirum actualis susceptio Sacramenti. Quòd autem illa verba non importent novum aliquem actum, patet ex eo, quòd Synodus dicat disponere ad impetrandam

gratiam

gratiam *in Sacramento*. Ponamus enim prǽter Attritionem ex metu gehennę, alium insuper requiri dolorem ex motivo Charitatis (ut volunt adversarii) hic actus, utpote dispositio ad Sacramentum Pœnitentiæ, præcedet sine dubio saltem regulariter susceptionem Sacramenti, & in sententia non paucorum necessariò debebit præcedere: Ponamus ergo elicitam esse Attritionem ex amore, hoc posito vel verum erit impetrandam gratiam in Sacramento, vel verum non erit; si verum non erit, quómodo dicit Synodus Attritionem ex metu disponere *ad Dei gratiam* IN SACRAMENTO *impetrandam*, cum hæc vel numquam, vel saltem regulariter in Sacramento non sit impetranda. Quòd si fatearis tunc nihilominus impetrandam gratiam *in Sacramento*; quandoquidem Attritio illa ex motivo amoris, quam vis debere mediare, sit dispositio ad Sacramentum, ejusque effectum gratiam, & hæc impetranda sit in Sacramento, necesse erit dicere, quòd Attritio ex amore disponat ad gratiam in Sacramento impetrandam. Vel igitur inter Attritionem ex amore Dei, & gratiam necessariò mediare debebit alius actus, vel non. Non primum, ut manifestum est etiam juxta adversarios; quòd si autem fatearis, nullum actum debere mediare, & nihilominus tuam Attritionem disponere *ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam*; quo, quæso, fundamento, ex eo quòd nostra Attritio dicatur disponere ad gratiam *in Sacramento impetrandam*, infers importari alium actum medium?

105. Instat 2 Tridentinum initio ejusdem capitis 4 loquens de Contritione, quæ est pars Sacramenti Pœnitentiæ, dicit quòd illa *præparet ad remissionem peccatorum*, non autem *ad impetrandam remissionem*. Cum ergo hoc posteriore loquendi modo utatur, dum agit de Attritione, signum est hanc aliter & tantùm remotè disponere.

Resp. 1. hæc idem significant, ut ipsemet fatetur. Vide infra num. 116.

Resp. 2. ergo juxta Auctorem Xenii, si Tridentinum dixisset, Attritionem (de qua cap. 4. sermo est) præparare ad gratiam, jam non deberet intelligi de dispositione remota. Atqui Synodus definit hanc Attritionem præparare ad gratiam, ergo mens Synodi non fuit indicare prǽparationē seu dispositionem remotam. Probatur minor ex sess. 41. Canone 5. (qui Canon respondet dicto capiti 4.) verba Canonis retulimus supra num: 102. Agit in illo Synodus de eadem Attritione, de qua sermo fuerat capite 4. & de qua egerat Lutherus in Serm. de Pœnitent: prout ex sola verborum inter se collatione adeò manifestum est, ut negari à nemine possit. Atqui dicto Can. 5. definit Synodus illam Attritionem *præparare*

CAPUT II.

Examinatur doctrina Confessionistarum de Contritione.

ALiqua ex Lutheranorum Confessionibus contra nos in Epistola sua Familiari deprompserat Exim. P. Lupus, quibus tamen respondere tunc nolui, quòd meliorem exspectarem opportunitatem. Intellexeram enim Xenium Exim. P. Farvacques sub prælo esse, neque dubitabam, quin petitum ex Confessionistis argumentum, quod aliquando in publica disputatione proposuerat, plenè & accuratè in hoc suo scripto esset deducturus, quod præstiuit Xenii cap. 2.

77. Dixeram in tract. de Attrit. num. 173. ex eo, quod Lutherus admiserit *terrores*, non rectè inferri, quòd sententiam nostram tenuerit, cum Attritio nostra non sint nudi & hebetes terrores; quare addidi, ab Auctore Quodlibeticæ, ut aliquid ageret, ostendi debuisse, quòd Lutherus aut Lutherani alicubi docuerint, in Sacramento Pœnitentiæ ad justificationem sufficere dolorem de peccatis, & propositum vitę novæ ex solo motivo timoris: sive uno verbo, quòd admiserint Attritionem *prout* ea in nostra sententia à suis Auctoribus explicatur.

Ad quę ita respondet Auctor Xenii pag. 35. *Quia verò monet me officii, & quid ostendere debuerim indicat, parebo monitioni, & injectæ mihi obligationis debito me exolvam.* Et infra pag. 38. tamquam re ex voto confectâ, concludit: *Atque iis, quæ tribus hisce paragraphis dicta sunt, spero me præstitisse, quod exigebat Adversarius.* Et tandem pag. 39 ait: *ex dictis hoc capite manifestum est, quàm non de nihilo dixerim in Quæst. Quodlib. nobis & Adversariis aliquid esse cum Lutherana doctrina commune, & aliquid diversum, quodque comparatione Lutheri habeamus nos, juxta phrasim Philosophorum, ut excedentia & excessa.* Quæ omnia sine fundamento dicta esse, patebit ex tradendis hoc capite, in quo, quænam fuerit duplex illa Lutheranorum sententia, examinabimus.

78. Ac primò quidem manifestum est, Lutherum initio defectionis suæ, & præsertim in sermone de Pœnitentia rejecisse omnem pœnitentiam, quæ concipitur ex metu, spe, aut alio simili motivo ab amore distincto, & pronuntiasse, peccatorem adferentem talem pœnitentiam absolutione indignum esse: solam verò illam, quæ ex amore concipitur, esse veram pœnitentiam, & absolutione dignos reddere. Hæc autem est ipsissima sententia Adversariorum; unde fatetur hic Auctor Quæst.

Quodlib.

Quodlib. pag. 52. hoc sibi cum Luthero commune esse, quod initio defectionis suæ docuerit pœnitentiam omnem debere ex amore concipi.

79. Porrò quod §. 2. ait P. Farvacques, in hac sententia non perstitisse Lutheranos, sed, ut in plurimis aliis, ita quoque in hoc puncto, non sine Lutheri approbatione, diversam à priori de justificatione peccatoris tradidisse doctrinam, planè admitto, tamquam rem certam & indubitatam; agnovit etiam ipsa Synodus Tridentina utramque hanc hæreticorum diverso tempore doctrinam, & quid de utraque sentiendum sit nos docuit, ut videbimus in fine hujus capitis.

Convenit ergo inter nos de priori Lutheri sententia, qualis ea fuerit; item quòd in illa Lutherani non perstiterint, sed in aliam planè diversam abierint. Quare tantummodo hìc examinandum, quænam fuerit posterior Lutheranorum de Pœnitentia doctrina, & an hæc aliquid habeat cum nostra sententia commune, quod affirmat Auctor Xenii.

80. Constat Lutheranos, postquam à doctrina Lutheri tradita in famoso illo sermone de Pœnitentia, inceperunt deficere, duas hasce satis constanter pœnitentiæ partes statuisse: alteram Contritionem seu incussos conscientiæ agnito peccato terrores; alteram verò fidem, seu præsumptuosam illam fiduciam, qua peccator certò, & sine ulla dubitatione aut hæsitatione sibi persuadet ac credit peccata sibi per Christum remitti Sic tamen ut postremæ parti, nempè Fidei, tribuerent justificationem, licet terrores illos, qui ipsis erant contritio, prærequirerent; & hac ratione explicabant suum illud commune dogma, quòd sola fides justificet. Hæc adeo manifesta & obvia sunt sive in Catholicorum, sive in hæreticorum scriptis, ut necesse non sit horum testimonia transcribere.

81. Quoad primam dictarum Pœnitentiæ partium, nempe Contritionem, certum est hæreticos eam initio explicasse per solos terrores incussos conscientiæ agnito peccato, nulla tacta mentione doloris de peccatis præteritis, aut propositi in posterum. Ita explicuit primigenia Lutheranorum confessio exhibita Cæsari in Comitiis Augustanis anno 1530. unde in exemplari Confessionis impresso Wittebergæ anno 1531. ita habet articulus 12. *Constat Pœnitentia propriè his duabus partibus: altera est Contritio, seu terrores incussi conscientiæ agnito peccato. Altera est fides, quæ concipitur ex Evang lio, seu absolutione, & credit propter Christum remitti peccata, & consolatur conscientiam, & ex terroribus liberat.* Hactenus Confessio originalis. Unde & Joannes a Daventria in dictæ Confessionis exegesi scripta anno 1535. non alia profert ex Confessione verba, quàm quæ

jam recensuimus, prout in ipso videre est pag. 177. Dico non alia protulisse ex Confessione Augustana: nam verba adversariorum quæ postea adducit pag. 182. in quibus Contritio explicatur per dolorem de peccatis, non sunt verba Confessionis Augustanæ, ut perperam aliquis putavit, sed sunt verba Philippi Melancthonis in dictę Confessionis Apologia. Similiter David Chytreus Rostockiensis in Augustanæ Confessionis historia impressa Antverpiæ 1582. hanc prout Cæsari oblata est referens, non alia exhibet verba, quàm superiùs relata, non facta doloris mentione.

82. Cœpit ergo Melancthon in dicta Apologia doloris de peccatis in Contritione mentionem facere, & sic aliquantulum, ut inquit Daventria, sese corrigere. Sic enim habet dicta Apologia: *De Contritione præcidimus illas otiosas & infinitas disputationes, quando ex dilectione Dei, quando ex timore pœnæ doleamus. Sed dicimus Contritionem esse veros terrores conscientiæ, quæ Deum sentit irasci peccato*, & DOLET SE PECCASSE. Hunc dolorem pluribus exponit Confessio Augustana in posterioribus editionibus aucta & alterata, nam impressa anno 1553. sic habet: *Constat Pœnitentia, id est conversio impii propriè his duabus partibus: Altera est Contritio, hoc est terrores incussi conscientiæ agnito peccato, in quibus & iram Dei agnoscimus*, & DOLEMVS NOS PECCASSE, ET PECCATA DETESTAMVR ET FVGIMVS. *Altera est fides* &c. Similiter Confessio Wittebergensis & Saxonica in explicatione Contritionis loquuntur de *dolore*, & *pavore* animi.

83. Hoc igitur etiam inter nos convenit, admissum postea à Lutheranis fuisse dolorem de peccatis. Propositum vitandi in posterum peccata, in nulla Confessione Lutherana reperio expressum. At, inquit P. Farvacques, propositum virtute includitur in dolore de peccatis, propositi insuper meminit Lutherus. Ita sit, jam videamus, quale sit illud propositum, aliaque quæ circa hanc postremam hæreticorum de Contritione sententiam advertenda sunt.

84. Primò sive Confessionistæ per dolorem de peccatis inclusum in Contritione, intellexerint etiam propositum non peccandi de cætero, sive non: hoc constat, quod non intellexerint dolorem & propositum efficax, seu excludens voluntatem peccandi, & actuale peccatum. Manifestum id est ex duplici capite: primum est, quòd constanter inculcent, Contritionem, qualem ipsi statuebant, seu terrores illos ac dolorem quò majores sunt, eò fortiùs ac certiùs pertrahere peccatores in desperationem, odium Dei, ac exitium sempiternum, nisi huic Contritioni accesserit altera, quam assignant, Pœnitentiæ pars, nempe fides illa firma, & minimè hæsitans, qua peccator certò credat peccata propter

Christum

Christum sibi esse remissa. Ita tradit pluribus locis Melanchthon in Apologia, Confessio Witteberlis titulo de Contritione, Confessionistæ in Recusatione Tridentini pag. 303. 306. & alibi.

85. Alterum & præcipuum caput est, quod Lutherani agnoscant, in iis, qui actu gravissimè peccabant ex desperatione se interimendo, fuisse veram Contritionem primam Pœnitentiæ partem, qualem ipsi requirebant; imò hos ipsos desperantes asserebant habuisse Contritionem non parvam nec vulgarem, illisque ad justificationem nihil quidquam defuisse ex parte Contritionis, sed solam defuisse alteram Pœnitentiæ partem à priori distinctam, nempe vanam illam de remissis peccatis fidem. Sic Melanchthon in Apologia Confess. Augustanæ Tit: de Pœnitentia, cum retulisset sententiam Catholicorum docentium peccatores Contritione mereri gratiam, subdit: *Ubi si quis* (Catholicos) *interroget, quare Judas & similes non consequantur gratiam, qui* HORRIBILITER CONTRITI SVNT. *Hic de Fide & Evangelio respondendum erat, quòd Judas non crediderit, non erexerit se Evangelio & promissione Christi. Fides enim ostendit discrimen inter Contritionem Judæ & Petri.* Ubi vides juxta Apologistam, quòd actus ille, qui in Juda de facto simul stabat cum gravissimo desperationis & homicidii peccato, habuerit omnia, quæ ipsi ad Contritionem primam Pœnitentiæ partem requirebant, quæque sufficiens esset ad justificationem, dummodo accederet altera Pœnitentiæ pars, nempe fides firma de remisso peccato. Neque juxta illos pœnitentia Petri à Pœnitentia Judæ differebat penes Contritionem, sed tantùm penes alteram Pœnitentiæ partem, quòd nimirum in Petro accesserit Fides, quâ caruit Judas, licet alioqui insigniter contritus. Similiter Confessio Wittebergensis oblata Concilio Tridentino anno 1552. sic habet Tit. de Contritione: *Testantur exempla Cain, Esau, Saülis, Judæ Iscariotis & aliorum, quòd Contritio non sit meritum remissionis peccatorum. Hi enim etsi* TANTAM *habuerint* CONTRITIONEM, *ut tollerabilius illis visum fuerit, vitam sibi aut laqueis, aut gladiis abrumpere, quàm* HORRIBILES *illos* DOLORES *perferre, tamen non sunt remissionem peccatorum consecuti.* In quæ hujus Confessionis verba ita scribit Petrus à Soto in scholiis Catholicis pag. 36. lit. H. *Hîc ostendunt, quàm præposterè de Contritione loquantur: contritio illa fuit, sed qualis in damnatis.... Nullus Catholicus sensus umquam horum veram Contritionem putavit.* Denique apertissimè Melanchthon in Apologia Tit. de Pœnitentia: *Ideo Judæ aut Saülis contritio non prodest, quia non accedit ad eam hæc fides apprehendens remissionem peccatorum donatam propter Christum. Ideo prodest Davidis aut Petri contritio, quia ad eam Fides accedit apprehendens remissionem peccatorum.*

86. Judas ergo aliique similes habuerunt, in sententia Confessionistarum *magnam Contritionem*, habuerunt *horribiles dolores*: certum tamen est in Juda aliisque non potuisse esse dolorem ac propositum excludens positivè omnem voluntatem peccandi, cum illa Contritio & dolores de facto starent cum gravissimo desperationis & homicidii peccato. Quamvis igitur Lutherani Contritionem postea explicarint non per solos terrores, sed insuper per dolorem de peccatis, imò, si velis, etiam per propositum in posterum; Constat tamen non statuisse dolorem ac propositum tale, quale nos requirimus, sed planè aliud, quale nempe est in damnatis, ut dicebat Soto.

87. Secundò Contritio, quam primam Pœnitentiæ partem statuebant Lutherani, non habebat adjunctam Spem veniæ. Manifestum id est ex jam dictis: fatebantur enim in Juda fuisse insignem Contritionem, in quo tamen, cum de facto desperarit, non potuit simul adfuisse Spes veniæ. Imo Spem veniç, qualem cum Tridentino requirunt Catholici in Contritione prima Pænitentiæ parte, dicti hæretici non tantùm reprobabant tamquam insufficientem pacandis conscientiis, sed insuper peccati ac impietatis damnabant: hujus autem loco substituebant fidem illam firmam ac minimè hęsitantem de remisso peccato; eam insuper fidem nolebant spectare ad primam Pænitentię partem nempe Contritionem, sed volebant esse alteram Pænitentiæ partem à priore seu Contritione diversam.

Hęc omnia manifesta sunt ex hæreticorum Confessionibus aliisque scriptis, in Confessione Wittebergensi; in Saxonica titulo de Pænitentia, in Confessione Augustana impressa anno 1553. in articulis fidei præcipuis num. 5. Denique Confessionistæ in Recusatione Tridentini ad Canonem 13. & 14. sess. 6. ita loquuntur pag. 303. *Patres Tridentini errores erroribus cumulantes addunt, de remissione peccatorum & gratia oportere hominem semper dubitare, neque fas esse, ut hac de re firmiter & sine dubitatione apud animum constituat certò sibi remissa esse peccata .... Hoc quid aliud est, quàm religionem omnem, omnemque pietatem penitus evertere atque abolere? aut, vel in securitatem ethnicam & epicuream convertere, vel in impiam ac diabolicam desperationem & fremitum transformare universa.* Hæc & plura impiè ac imprudenter dicto loco Recusantes.

88. Tertiò terrores hos & dolores volebant hęretici esse Contritionem primam pęnitentiæ partem, licet in illis nullus involveretur respectus ad confessionē, & satisfactionē, sive sine proposito confitendi & satisfaciendi. Omnem enim satisfactionē nostram reiiciebant ut injuriosam Christi satisfactioni, confessionem verò homini factam negabant esse necessariam

riam: dicebant tamen se illam retinere duabus de causis: 1. ut rudes in privato hoc colloquio instruerentur: 2. ut audito Euangelio de remissione peccatorum, fides illa firma vel conciperetur, vel augeretur. Ita Confessio Augustana tit: de bonis operibus, Confessio Wittebergensis &c.

89. Quartò denique asserebant Lutherani, quòd terrores illi essent ultima & sufficiens dispositio, ut accedente sola illa hæretica Fide, alterâ Pœnitentiæ parte, peccator justificetur, & negabant ac explodebant omne opus operatum Sacramenti Pœnitentiæ: ut videre est in Confessione Augustana impressa anno 1553 num 13 pag. 9. & passim alibi.

90. Ea quæ hactenus circa Contritionem a Lutheranis requisitam annotavimus, jam pridem animadvertit Tapperus, qui cum art. 3. pag. 102. protulisset ex Confessione Augustana posterioris alicujus editionis, hanc sententiam; *Pœnitentia hoc est conversio impii constat propriè ex duabus partibus: quarum altera est Contritio, id est terrores incussi conscientiæ agnito peccato, in quibus & iram Dei agnoscimus, & dolemus nos peccasse, & peccata detestamur & fugimus. Et altera pars est Fides &c.* Postea explicans quid in hac doctrinâ perversum sit ac perniciosum, ita loquitur ad Artic. 4. pag. 114. col. 2. *Perniciosa est doctrina, qua asserunt, etiam hos terrores esse partem Pœnitentiæ nullo habito respectu confessionis & satisfactionis, quódque est immediata & ultima dispositio, ut Fide accedente justificemur, quæ omnia erronea sunt & perniciosa. Nec enim possunt terrores illi esse Contritio, quam Deus despicere non potest, cum his terroribus affectum Deus plerumque despiciat. Nam esse possunt in desperante sine Fide & Spe veniæ. Imo secundùm adversarios* (id est Confessionistas) *in desperationem ducunt nisi accesserit Fides.* Tum huic erroneæ hæreticorum sententiæ opponit Tapperus aliam, quam & approbat, sic enim ibidem nullis interpositis prosequitur: *Si tamen quis consideratione peccati, & iræ Dei, velit se submittere correctioni & clavibus Ecclesiæ, vitam emendare instituens, videtur hic sufficienter præparatus, ut virtute Sacramenti ei peccata remittantur. Nec oportet, quod iste dolor peccati & terrores ex immoderato sui amore proficiscantur: quia sicut quædam sunt honesta & appetibilia secundum se, ut virtus, honor, sanitas & vita: ita quædam secundùm se sunt fugibilia: quale est peccatum & supplicium gehennæ.* Hic admittit Tapperus dolorem qui ex agnito peccato & consideratione iræ Dei concipitur, quem pronuntiat esse ex amore sui, non tamen inordinato, videri sufficere ad justificationem cum Sacramento, dummodo sic dolens statuat vitam emendare, & se submittere correctioni & clavibus Ecclesiæ; adeoque manifestè approbat nostram sententiam, eamque ut sanam opponit erroneæ Lutheranorum doctrinæ: tantùm abest, ut

illam putarit vel in minimo cum hac consentire.

91. Quamvis ergo Confessionistæ terrores suos explicarent per dolorem de peccatis, horumque detestationem ac fugam; illorum nihilominus sententiam in multis pronuntiat Tapperus perniciosam & erroneam. 1. quòd in his terroribus nullus includeretur respectus ad Confessionem & satisfactionem. 2. quòd terrores ab Hæreticis asserti non haberent necessariò adjunctam spem veniæ. 3. Quòd essent tales, ut si in illis sisteretur essent via recta ac certa ad desperationem, ac proinde voluntatem peccandi nullo modo excluderent. 4. Denique quòd terrores illos, conjunctumque qualem qualem dolorem vellent esse dispositionem immediatam & ultimam, sic ut solâ Fide accedente peccator justificetur. Quæ omnia cum Tappero perniciosa & erronea censemus, iisque contraria docemus.

92. Nam Hæretici non admittebant alium dolorem seu Contritionem, quàm quæ, si sola sit, viam sternat ad desperationem, & quæ esse possit, imò de facto fuerit in Juda aliisque cum actuali desperatione suique interemptione. Nos tamen dolorem, ex quocumque demum motivo dicatur concipi, rejicimus ut insufficientem etiam cum Sacramento, requirimusque actum, qui positivè excludat omnem voluntatem peccandi, sic ut cum illo peccatum mortale actuale componi nequeat.

Hæretici in Contritione prima Pænitentiæ parte non complectebantur Spem venię, sed hanc ut malam ab ea positivè repellebant. Nos è contra cum Tridentino asserimus, in Attritione spem veniæ involvi debere.

Volebant Hæretici terrores illos doloremque esse primam partem Pænitentię, sine respectu ad Confessionem & satisfactionem. E contra in omni Contritione, sive perfecta, sive imperfecta, asserimus includi debere votum Sacramenti, adeo ut etiam in Contritione perfecta isti voto adscribenda sit reconciliatio.

Denique Lutherani statuebant suos illos terrores doloremque esse dispositionem proximam & sufficientem ut accedente sola vana ista fiducia peccator justificationem consequatur. Nos verò indubitatè asserimus, Attritionem nostram, licet spem veniæ adjunctam habeat, & omnem prorsus peccandi voluntatem positivè excludat, nullo modo tamen sufficere ad reconciliationem sine opere operato actualis Sacramenti.

93. Quid igitur proferet P. Farvacques, quo ostendat Lutheranos post desertam priorem Lutheri (quæ & Adversariorum est) de Pænitentia

tentia & justificatione doctrinam, in nostram sententiam concessisse, aut nobiscum aliquid habuisse commune? Neque enim, ut arbitror, dicet, illos nobiscum admisisse terrores seu timorem, nam hunc non admittit tantùm P. Farvacques, sed insuper asserit, timorem in omni justificatione intervenire, illumque à Catholicis nullo modo rejici fatetur Xenii pag. 39.

94. Ex his manifestum est etiam ipsi Auctori Xenii, quòd nullo modo præstiterit id, quod facturum se promittit pag. 35. & de quo tamquam ritè peracto sibi gratulatur pag. 38. & 39. Id enim ut præstaret, ostendere debuerat, quòd vel Lutherus, vel Confessionistæ deserta priore sententia docuerint, dolorem de peccatis ex motivo metus gehennæ, una cum spe veniæ & proposito non peccandi de cetero, per quæ positivè excludatur omnis voluntas peccandi, sufficere cum Sacramento Pænitentiæ ad justificationem vi operis operati ipsius Sacramenti sine quo nullo modo haberetur reconciliatio. Quod cum ostendere non possit, necesse est ut fateatur, suam sententiam cum priore Lutheranorum doctrina quoad actum cum Sacramento requisitum concordem esse, nobis cum neutra quidquam esse commune.

95. Advertere operæ pretium est; postquam Lutherani, rejectâ necessitate confessionis & satisfactionis, omnique opere operato Sacramenti, tradere inceperunt justificationem obtineri seu apprehendi sola Fide, quæ conscientiam perterrefactam quietam reddit: adeoque cum jam agerent de justificatione, quæ secluso Sacramento ejusque virtute obtinetur per solos actus peccatoris nempe terrores & fidem: Catholicis necesse non erat, imò abs re fuisset, ex professo contra illos tractare, quis actus accedente virtute Sacramenti actualis sufficeret ad remissionem peccatorum. Sed, quia sectarii Sacramenti necessitate ac virtute eliminata solos actus peccatoris ad illum effectum requirebant, debuere Catholici aliò arma convertere, nempe ut evincerent terrores & fidem minimè sufficere, sed requiri amorem Dei propter se super omnia dilecti. Hinc factum, ut, sicut Lutherani in suis confessionibus, ita quoque Catholici in earumdem refutatione vocem *Contritio* sumerent pro Contritione justificante sine actuali Sacramento. Sic Petrus à Soto ad hæc Confessionis Wittebergensis verba: *Contritionem vocamus sensum divina ira, seu dolorem & pavorem animi ex agnitione magnitudinis peccatorum, & gravitatis ira Dei ortum.* Ad hæc, inquam, verba in scholiis Catholicis hæc addit Soto: *Adde & vera Dei dilectione, ipsum super omnia bona æstimantes sine hac verò, de qua dictum est, dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum, Contritio non vera est.* Et paulò infra pag. 36. lit. H. indicat se supra descripsisse

scripsisse Contritionem perfectam: quod ipsum pluribus ex Soto ostendi in Respons. ad Epist. Famil pag. 61. num. 117. Similiter Tapperus agens contra Confessionistas in verbis supra citatis ait: *Nec enim possunt terrores isti esse Contritio, quam Deus despicere non potest.* Ubi agit de Contritione perfecta, & justificante sine Sacramento, ut indicant illa verba, *quam Deus despicere non potest*, quo eodem loquendi modo paulò ante nempe pag. 113. descripserat Tapperus Contritionem prout distincta est ab actu, qui requiritur in Sacramento.

96. Atque hinc colligere licet 1. Quòd Auctores illi, qui ex professo Confessionistas impugnarunt, ut fecerunt Alphonsus Virvesius, Petrus à Soto, Joannes à Daventria, aliique perperam nobis opponantur, tamquam à sententia nostra diffidentes, ex eo, quòd dicant ad Contritionem requiri charitatem aut amorem Dei etiam super omnia. Cum enim sublato Sacramento ejusque virtute controversia esse non possit, quis sit actus, qui cum Sacramento sufficiat, non tamen sine illo, tota cum hæreticis in hoc versabatur controversia, an terrores illi cum sola Fide justificarent, quod negabant Catholici, contendebantque requiri insuper Charitatem Dei super omnia ad Contritionem, nempe illam, de qua erat quæstio, quæ independenter à Sacramento peccata tollit. Patet id ex Joanne à Daventria, qui ad art: 11. Confessionis Augustanæ, cum protulisset verba Melancthonis damnantis hanc propositionem Catholicorum, *quod per Attritionem mereamur gratiam*: ita respondet: *Quod per Attritionem mereamur gratiam, si rectè intelligatur tertissimum est, multoque clarissimum. Sacramentum enim Baptismi cum Fide & dolore de peccatis, & cum proposito melioris vitæ acceptum justificat & salvat. Sic & attritus, id est suorum pœnitens peccatorum, cum ex Fide petit & quærit divinam gratiam, suscipitque Pœnitentiæ Sacramentum, eam haud dubiè suscipit, ac de congruo suscipere meretur. Itaque hoc modo de attrito meretur quispiam fieri contritus.* Tum infra ad aliam, quam Apologista ibidem damnat, sententiam, nempe *Quod propter Contritionem, non Fide in Christum, consequamur remissionem peccatorum*; respondet Daventria, hoc non docuisse Catholicos: *Noverunt enim*, inquit, *veram Contritionem numquam haberi posse, nisi per Fidem Charitate formatam, licet per Fidem informem, ut jam diximus, atteri possit peccator.* Ecce pronuntiat Attritionem non esse ex motivo Charitatis, illam nihilominus cum Sacramento mereri gratiam indubitanter asserit. Et tamen tum hîc tum alibi ad veram Contritionem requirit Charitatem; nimirum per Contritionem intelligens actum sine Sacramento justificantem, de quo cum Confessionistis erat disputatio.

97. Collige 2. quid sibi voluerint multi Catholici, dum hanc Confessionistarum

fessionistarum sententiam impugnantes sæpe asserebant, terrores non esse veram pœnitentiam aut Contritionem, sed ad hanc solummodo præparare. Cum enim Lutherani agerent de justificatione independenter à virtute Sacramenti (quam nullam agnoscebant) Catholici in subjecta materia loquentes, nempe de justificatione à virtute Sacramenti independente, negabant terrores esse veram Contritionem aut Pœnitentiam (nempe in sensu controverso) contendebantque metum esse tantummodo viam ad veram pœnitentiam seu Contritionem, nempe quæ sine Sacramento reconciliat. Sic Tapperus, cum in verbis relatis supra num. 90. dixisset terrores illos non esse Contritionem, quam Deus despicere non potest, subjungit: *Et ideo hic metus, qui adducit dolorem de peccatis, præparat ad veram pœnitentiam* (sive, ut loquitur infra, *ad veram Contritionem*) *per quam peccata remittuntur.* Quo loco agit de actu sine Sacramento actuali justificante; tum, quia addit, per quam *peccata remittuntur*, quod non competit Attritioni, quia in attrito peccata remitti dicuntur per Sacramentum; tum quia in verbis eodem num. 90. citatis, item relatis tract. de Attritione num. 278. manifestè admittit nostram Attritionem cum actuali Sacramento sufficere. Asserit igitur metum non esse Contritionem antonomasticè dictam, sed ad hanc tantùm præparare metum, qui adducit seu conjunctum habet dolorem de peccatis.

98. Denique ut absolvam; duas diversas principales de Justificatione sententias diverso tempore tradiderunt Lutherani: de utraque etiam diversis locis tractat Tridentinum. De priore sententia à Luthero tradita in serm. de Pœnit. agit sess. 14. cap. 4. ut sæpe ostendimus. De sententia verò Confessionistarum ad justificationem requirente terrores tantummodo & fidem, agit sess. 6. & 14. ac primò quidem sess. 6. cap. 9. fidem ab hæreticis assertam reprobat tanquam *inanem, vanam, & ab omni pietate remotam fiduciam.* Sess. vero 14. cap 3. postquam definiverat tres esse Pœnitentiæ partes Contritionem, Confessionem, & satisfactionem, damnat eos, qui Pœnitentiæ partes, incussos conscientiæ terrores, & fidem esse contendunt, prout contendebant Confessionistæ, volentes has esse Pœnitentiæ partes & quidem solas. Unde Canone 4. ejusd. sess. qui Canon respondet dicto capiti tertio ita loquitur Synodus: *Si quis dixerit, duas tantùm esse Pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio, quâ credit quis, sibi per Christum remissa peccata; anathema sit.*

99. Notatu dignum hic est, licet Confessio Wittebergensis Concilio Tridentino oblata anno 1552. in Contritionis explicatione meminerit doloris, & Confessio Augustana in posterioribus editionibus, ut vidi-

mus, in prima Pœnitentiæ parte statuat dolorem de peccatis, quod & fecerat Melancthon; nihilominus Tridentinum eorum Contritionem recensens nullâ factâ doloris mentione solùm dixerit, *terrores incussos conscientiæ agnito peccato*, quæ sunt ipsissima verba, quibus primam pœnitentiæ partem expressit Confessio originalis Augustana. Unde hanc solam videtur respexisse Tridentinum relictis aliis posterioribus hæreticorum descriptionibus, fortè quia hæ multùm ab invicem discrepabant, vel quia dolor, quem posteriores statuebant, utpote consistens cum peccato actuali, ut hoc capite ostensum est, non merebatur nomen doloris ad justificationem requisiti.

CAPUT III.

An Tridentinum seß. 14. *cap.* 4. *nomine* Attritionis *intellexerit proximam dispositionem ad justificationem?*

SUpposuerat in sua Quæstione Quodlibetica passim Exim. P. Farvacques, dicto loco Tridentini sermonem esse de dispositione proxima; ac responsionem illorum, qui volunt illic agi de dispositione remota, indicarat quidem breviter, ne quid deesset, eam tamen, utpote sibi non necessariam, missam fecerat. In Xenio cap. 3 pag. 39. totus est in probanda hac posteriore explicatione, nempe d. dispositione remota: Hoc dum facit, plurima, quæ ante fusè probaverat & conatus fuerat evincere, planè subvertit ac enervat. Contenderat illa verba Tridentini: *Illam verò Contritionem imperfectàm, quæ Attritio dicitur..... si voluntatem peccandi excludat*. &c. intelligenda esse de dolore, qui concipiatur ex aliquo Dei propter se amore, quod hîc negat. Rursùs in Quæst. Quodlib. Argumento 8. pag. 38. §. 1. & 2. multis urserat, quòd negativè excludere voluntatem peccandi, non sit verè excludere, adeoque quòd verba Tridentini; *Si voluntatem peccandi excludat*, intelligi debeant de exclusione positiva, id est, sic ut voluntas peccandi cum actu, de quo loquitur Synodus, consistere nullo modo possit, & in hoc fundabat totum argumentum octavum Quæstionis Quodlib. quod reliquis prolixius est. At in Xenio pag. 45. argumento à me facto respondens recurrit ad exclusionem peccati negativam, tamquam verbis Concilii salvandis sufficientem, additque ea, quæ alibi dixerat de exclusione positiva, dicta esse dissimulanter, & censeri debere sublata. Sicque, quod priùs

priùs operosè probaverat, uno verbo hic destruit; adeo parùm efficacia, vel ipso judice, fuerunt argumenta.

Porrò quia ad solutionem eorum, quæ pro explicatione de dispositione remota de novo profert, necessarium est, præ oculis habere tam verba Lutheri, quàm Tridentini, ea rursus (ut etiam fecit Auctor Xenii) hic subjiciemus.

100. Lutherus serm. 2. de Pœnit: *Contritio (sic enim cœpit vocari vera pœnitentia interior) duplici viâ paratur Primò per discussionem, collectionem, detestationem peccatorum, quâ quis, ut dicunt, recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum, gravitatem, damnum..... ac æternæ damnationis acquisitionem ... Hæc autem contritio facit hypocritam, imò magis peccatorem, quia solùm timore præcepti, & dolore damni id facit. Et tales omnes indignè absolvuntur & communicantur ..... Imò quo magis timore pœnæ & dolore damni sic conteruntur, eò magis peccant, & afficiuntur suis peccatis, quæ coguntur, non autem volunt odisse. Et hæc est illa contritio, quam ipsi vocant extra Charitatem non meritoriam, alii vocant attritionem proximè disponentem ad contritionem, sic enim ipsi opinantur, quam opinionem errorem ego judico.* Additque amorem justitiæ facere verè pœnitentem & dignum absolutione.

101. E contra Tridentinum sess. 14. cap. 4 *Illam verò Contritionem imperfectam quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ; declarat non solùm non facere hominem hypocritam & magis peccatorem; verùm etiam donum Dei esse & Spiritus S. impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento pœnitentia per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit...... Quamobrem falsò quidam calumniantur Catholicos scriptores quasi tradiderint Sacramentum pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod numquam Ecclesia Dei docuit aut sensit. Sed & falsò docent contritionem esse extortam & coactam, non liberam & voluntariam.*

102. Deinde in Canone 5. qui respondet capiti citato, ita loquitur: *Si quis dixerit eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam & magis peccatorem; demum illum esse dolorem coactum & non liberum ac voluntarium; anathema sit.*

§. I.

Respondetur ad argumenta, quibus probat dicto loco Synodum loqui de dispositione remota.

Auctor Xenii cap. 3. §. 4. pag. 42. quatuor adfert indicia seu argumenta, quibus conficere nititur, Tridentinum sess. 14. cap. 4. ubi agit de Attritione, intelligi debere de dispositione remota.

103. PRIMUM INDICIUM SEU ARGUMENTUM. Attritio, de qua Tridentinum, *ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ* IMPETRANDAM *disponit*. Quare non dicitur quòd Dei gratiam impetret, vel conferat?

Resp. non debuisse his potiùs, quàm illis verbis uti, sufficit quòd mentem suam clarè exprimat, quod hic facit, Nam quiscumque demum sit ille actus doloris, qui ad justificationem necessariò requirit consortium actualis Sacramenti, verissimè de illo dicetur; *ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Cum enim talis actus se solo ad justificationem perducere, seu illam impetrare non possit, sed necesse sit accedere Sacramentum, quo, quod illi actui deest, suppleatur, per illa vasa gratiæ & meritorum Christi, rectissimè dicitur, quòd illa Attritio nos disponat ad impetrandam Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ. Neque, credo, negabit Auctor Xenii Attritionem, qualem ipse statuit, impetrare gratiam, aut ad eam in Sacramento impetrandam disponere; cum ipsemet hæc verba: Attritio *ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*; explicet de Attritione, quæ proximè disponit ad illam *gratiam*, de qua illic loquitur Synodus; ut ostendam infra num. 116. Nihil ergo subsidii pro sua sententia habet ex illo loquendi modo.

104. Instat 1. cur dicitur quod disponat ad impetrandum, nisi quia disponit mediante impetratione?

Resp. 1. cur ipse Auctor Xenii hæc ipsa verba alibi intelligit de dispositione proxima, seu non mediante impetratione? ut dicam num. 116.

Resp. 2. ideò dici disponere ad impetrandam gratiam in Sacramento, quia non est dispositio sufficiens ad impetrandam gratiam sine consortio actualis Sacramenti, licet sufficienter disponat ad susceptionem Sacramenti, unde revera aliquid mediat inter illam dispositionem, nempe Attritionem, & impetrationem gratiæ, ipsa nimirum actualis susceptio Sacramenti. Quòd autem illa verba non importent novum aliquem actum, patet ex eo, quòd Synodus dicat disponere ad impetrandam

gratiam

gratiam *in Sacramento*. Ponamus enim prçter Attritionem ex metu gehennç, alium insuper requiri dolorem ex motivo Charitatis (ut volunt adversarii) hic actus, utpote dispositio ad Sacramentum Pœnitentiæ, præcedet sine dubio saltem regulariter susceptionem Sacramenti, & in sententia non paucorum necessariò debebit præcedere : Ponamus ergo elicitam esse Attritionem ex amore, hoc posito vel verum erit impetrandam gratiam in Sacramento, vel verum non erit; si verum non erit, quomodo dicit Synodus Attritionem ex metu disponere *ad Dei gratiam* IN SACRAMENTO *impetrandam*, cum hæc vel numquam, vel saltem regulariter in Sacramento non sit impetranda. Quòd si fatearis tunc nihilominus impetrandam gratiam *in Sacramento*; quandoquidem Attritio illa ex motivo amoris, quam vis debere mediare, sit dispositio ad Sacramentum, ejusque effectum gratiam, & hæc impetranda sit in Sacramento, necesse erit dicere, quòd Attritio ex amore disponat ad gratiam in Sacramento impetrandam. Vel igitur inter Attritionem ex amore Dei, & gratiam necessariò mediare debebit alius actus, vel non. Non primum, ut manifestum est etiam juxta adversarios; quòd si autem fatearis, nullum actum debere mediare, & nihilominus tuam Attritionem disponere *ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam*; quo, quæso, fundamento, ex eo quòd nostra Attritio dicatur disponere ad gratiam *in Sacramento impetrandam*, infers importari alium actum medium?

105. Instat 2 Tridentinum initio ejusdem capitis 4 loquens de Contritione, quæ est pars Sacramenti Pœnitentiæ, dicit quòd illa *præparet ad remissionem peccatorum*, non autem *ad impetrandam remissionem*. Cum ergo hoc posteriore loquendi modo utatur, dum agit de Attritione, signum est hanc aliter & tantùm remotè disponere.

Resp. 1. hæc idem significant, ut ipsemet fatetur. Vide infra num. 116.

Resp. 2. ergo juxta Auctorem Xenii, si Tridentinum dixisset, Attritionem (de qua cap. 4. sermo est) præparare ad gratiam, jam non deberet intelligi de dispositione remota. Atqui Synodus definit hanc Attritionem præparare ad gratiam, ergo mens Synodi non fuit indicare prçparationē seu dispositionem remotam. Probatur minor ex sess. 14. Canone 5. (qui Canon respondet dicto capiti 4.) verba Canonis retulimus supra num: 102. Agit in illo Synodus de eadem Attritione, de qua sermo fuerat capite 4. & de qua egerat Lutherus in Serm. de Pœnitent: prout ex sola verborum inter se collatione adeo manifestum est, ut negari à nemine possit. Atqui dicto Can. 5. definit Synodus illam Attritionem *præparare*

 ad

ad gratiam ; intorquet enim illic anathema dicenti illum dolorem ex metu (de quo loquitur) *non præparare ad gratiam.* Ergo &c. Quòd si autem his verbis, *ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*, seu præparat, alius subesset sensus, ut vult Auctor Xenii, quam his ; *præparat ad gratiam:* & priorem sensum intendisset Synodus dicto capite 4. quomodo doctrinam hoc capite traditam redigens in Canonem, intorsisset anathema dicenti *non præparare ad gratiam?* Manifestum igitur est, quòd Synodus, dum dixit, Attritionem *ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponere*, non aliud intellexerit, quàm disponere seu præparare ad gratiam.

106. Instat 3. Ablutio baptismalis minùs rectè diceretur tantùm disponere ad impetrandam remissionem peccatorum, cum illam impetret, aut potiùs tamquam pars Sacramenti conferat. Ergo, si Synodus vellet Attritionem (de qua ibi agit) esse partem Sacramenti Pœnitentiæ, minùs rectè diceret, quòd ad Dei gratiam impetrandam disponat ; rectiùs porrò, quòd illam in Sacramento impetret.

Resp. 1. Auctor Xenii paulò ante dixerat, quòd Synodus loquens de Contritione, quæ est pars Sacramenti Pœnitentiæ, de hac pronuntiet, quòd *præparet ad remissionem peccatorum*: quæro an judicet minùs rectè hic loqui Synodum ? Quod si neget, cur asserit minùs rectè de parte Sacramenti dici, quòd præparet seu disponat, cur censet dicendum quòd *impetret*, aut potiùs quòd tamquam pars Sacramenti *conferat* gratiam seu remissionem peccatorum ?

107. Resp. 2. Tridentinum uti modo loquendi apud Scholasticos usitatissimo, dum dicit *disponere*, illi enim licet fateantur Contritionem esse partem materialem vel quasi materialem hujus Sacramenti, eam nihilominus vocant præparationem seu dispositionem, non tantùm ad effectum Sacramenti, sed etiam ad ipsum Sacramentum Pœnitentiæ: illi tamen non dicent ablutionem baptismalem esse præparationem aut dispositionem ad Sacramentum Baptismi ; inde autem hæc loquendi diversitas orta videtur, quòd ablutio Baptismalis, quæ est materia Baptismi, æquè ac forma applicetur à ministro Sacramenti. Contritio verò, licet sit quasi materia, non à ministro adhibeatur, sed adferatur à suscipiente. Cæterum nostra non interest, unde diversitas illa in modo loquendi profluxerit. Cum igitur Contritio, licet Sacramenti pars sit, juxta usitatum tamen loquendi modum dicatur præparare seu disponere ad ipsum Sacramentum, à fortiori dici debet, quòd præparet seu disponat ad effectum Sacramenti, nempe gratiam seu remissionem peccatorum. Unde ulterius, cum Attritus non accipiat seu impetret gratiam nisi

nisi accedente Sacramento Pœnitentiæ, rectissimè dicitur Attritio disponere *ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam.*

108. SECUNDUM INDICIUM SEU ARGUMENTUM. Si Attritio germanum membrum est Contritionis, de qua agit Synodus initio dicti capitis, 1. cur adduntur hæ particulæ, *si voluntatem peccandi excludat*, cum Contritio, de qua initio capitis, semper excludat voluntatem peccandi?

2. Cur repetitur, quod debeat esse *cum spe veniæ*, cum supra dictum esset, ad Contritionem requiri fiduciam misericordiæ divinæ?

Tertiò cur dicitur *ad Dei gratiam impetrandam disponere*, cum jam disertè dictum fuisset Contritionem *ad remissionem peccatorum præparare*?

109. Resp. Ad 1. quia vox Attritio apud Doctores scholasticos non usurpabatur tantùm pro actu, de quo disputamus, & de quo suam doctrinam tradit Synodus, sed insuper pro aliis actibus ab illo diversissimis, ita ut Attritionis nomine donarent actum etiam illum, quo quis vellet seu optaret non peccare, sed tamen non omnino statueret non peccare in posterum, ut videre est apud Navarrum cap. 1. de Contrit. num. 36. vel etiam actum, quo quis statueret à quibusdam peccatis abstinere non autem ab aliis &c. Idcirco Synodus convenientissimè per additionem illarum particularum limitavit & restrinxit Attritionem, de qua loquitur, ne daretur ansa cogitandi, quòd ea, quæ definit de Attritione, sint intelligenda de quovis actu, qui Attritionis nomine apud quosdam censetur. Similiter quia hæretici passim clamabant metum gehennæ & iræ Dei homines avertere à Deo, & in desperationem præcipites agere, idcirco rectè addidit de spe veniæ, quia hac accedente manifestum est timorem non posse in desperationem adducere.

110. Adde licet adferri non posset alia ratio, cur illa addiderit; potuerunt tamen addi vel majoris claritatis causâ, vel ad eamdem rem magis inculcandam. Sic licet initio capitis quarti dixisset, ad Contritionem requiri propositum non peccandi de cætero, in quo sufficienter continetur propositum implendi præceptum confessionis; statim nihilominus subjungit, Contritionem, ut præparet ad gratiam, debere habere adjunctum votum Sacramenti, aliorumque, quæ ad hoc requiruntur.

111. At, inquies, cur ergo non similiter meminit Fidei?

Resp. quia hoc est Sacramentum regeneratorum & fidelium; hinc toto illo capite quarto nullibi facit mentionem Fidei, sive dum agit de Contritione in genere, sive dum primam ac præcipuam illius speciem, nempe Contritionem perfectam describit; quid igitur mirum, si loquens de altera specie, Attritione, nihil dicat de Fide, licet aliorum rursus meminerit.

Ad

112. Ad 3. Resp. ideo addi, quòd Attritio *ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponat*, ut indicet diversum modum, quo Contritio perfecta & imperfecta concurrit ad gratiam seu remissionem peccatorum, cujus diversitatis nullam antea fecerat mentionem. Præmiserat eodem capite, Contritionem Charitate perfectam *hominem Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur*. Sive quòd disponat seu præparet ad gratiam sine consortio actualis Sacramenti. Tum pergens ad Attritionem pronuntiat eam hoc modo non concurrere ad gratiam, sed planè diverso, nempe cum ipso, seu in ipso actuali Sacramento: hinc dicit: *Et quamvis (* Attritio *) sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat* (quod nempe potest Contritio perfecta) *tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*.

113. Concludens Auctor Xenii pag. 43. hoc argumentum ita loquitur : Credibile ergo est, quòd Tridentinum initio capitis quarti proposuerit duplicem Contritionem, quam dividit in Charitate perfectam, & eam, quæ non est Charitate perfecta, licet sit vera pars Sacramenti Pœnitentiæ: & deinde assignaverit aliud genus Contritionis imperfectæ, de qua hoc solum afferat, quòd sit motus bonus &c. Nequaquam tamen, quòd sit pars Sacramenti Pœnitentiæ. Et ita explicandum Tridentinum suadet hic modus loquendi: *Illam verò Contritionem imperfectam* &c. Videtur enim sermo transferri ad materiam à præcedentibus diversam. Hactenus ille.

114. Resp. mirum est, hæc ab Auctore Xenii afferri potuisse. Synodus, inquit, proponit duplicem Contritionem, quam dividit in Charitate perfectam, & eam, quæ non est Charitate perfecta, est tamen vera pars Sacramenti Pœnitentiæ. Hoc posito, quæro, quo loco & in quibus verbis assignet Synodus alterum dictæ divisionis membrum, nempe Contritionem Charitate non perfectam, seu imperfectam? Certè non alibi, quam ubi ait: *Illam vero Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur &c.* Manifestum id est ex Tridentino: nam postquam initio capitis quarti egisset de prima Pœnitentiæ parte, nempe Contritione genericè sumpta, nullâ factâ hujus aut illius speciei mentione, aut divisione, prosequitur exercitè dividendo genus, & species diversas exhibendo: *Docet præterea, etsi* CONTRITIONEM HANC *aliquando Charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi Contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.* Hactenus de sola prima specie, seu Contritione Charitate perfecta, & sine actuali Sacramento justificante. Tum immediatè subjungit Synodus: *Illam verò Contritionem imperfectam,*

fectam, quæ Attritio dicitur &c. Cum igitur Contritionem genericè sumptam dividat in duo membra seu species, quæ singulę sint vera pars Sacramenti (ut fatetur etiam Auctor Xenii) & immediatè post traditam Contritionem vi sua justificantem (quæ est prima & præcipua Contritionis species) subnectat Attritionem ex metu gehennæ conceptam, & huic nomen genericum Contritionis attribuat, addens pro differentia *imperfectam*, neque toto illo capite alterius Contritionis non perfectæ, seu imperfectæ meminerit: quis potest dubitare, quin Attritio, de qua loquitur Synodus, sit ex illius mente altera species Contritionis in genere, adeoque & vera pars Sacramenti Pœnitentiæ? Quis sibi persuadeat, Patres adeo ignaros fuisse rectæ divisionis generis in suas species, ut, cum Contritionem partiri vellent in legitimas species, contenti unicam exhibuisse, loco alterius legitimæ speciei spuriam quampiam supposuerint, quæ rationem Contritionis genericam non participat? nemo hæc ut arbitror crediderit. Sanè ineptias obtruderet, qui volens animal partiri in suas species, pro prima poneret animal perfectum, quia rationis capax, progressus verò ad alteram speciem animalis non perfecti seu imperfecti, diceret: Illud verò animal imperfectum, quod plantam vocamus, quoniam solum habet animam vegetativam &c.

115. TERTIVM INDICIVM. Postquam Tridentinum dixisset, quòd Attritio *sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat*: statim variato modo loquendi subjungit: *Tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Quæ loquendi varietas indicat, per *Dei gratiam impetrandam* diversum quid significari. Unde verisimilis suspicio est, per Dei gratiam non intelligi gratiam justificationis, sed gratiam veræ Contritionis, *ad hanc enim proximè disponit Attritio.*

116. Resp. 1. hic apertè secum pugnare Auctorem Xenii, nam pag. 42. §. 4. contendit agi de dispositione remota, idque præcipuè ex eo quòd Synodus dicat Attritionem *ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponere.* Vultque hunc loquendi modum requirere actum impetratorium mediantem inter Attritionem, & gratiam, de qua ibi sermo. In hoc verò argumento, ex eo quòd Attritio (de qua ibi Tridentinum) proximè disponat ad Contritionem, infert quòd per gratiam, ad quam impetrandam Attritio dicitur disponere, intelligenda sit gratia Contritionis, non autem gratia justificans, ad quam juxta hunc Auctorem Attritio disponit solummodo remotè. Ecce juxta ipsum, si illo loco Tridentini per *gratiam* intelligatur gratia Contritionis, tunc, quòd Attritio dicatur *ad gratiam* IMPETRANDAM *disponere*; non obest, quo

G minus

minus illud intelligendum sit de dispositione proxima ad gratiam: Imò ex eo quòd Attritio proximè disponat ad Contritionem, infertur per *gratiam* illic intelligi Contritionem, non autem gratiam justificantem. Quòd si autem Synodus per *gratiam* dicatur intelligere gratiam habitualem, non rectè eadem verba explicantur de dispositione proxima, sed è contra ex eo quòd Synodus non dicat Attritionem gratiam impetrare vel conferre, sed tantùm *ad gratiam* IMPETRANDAM *disponere*, signum est disponere solummodo mediatè, nempe mediante impetratione, seu actu alio perfectiore. Quid hoc est aliud, quàm eadem verba modo in hunc, modo in contrarium sensum pro libitu torquere, prout diversis locis videtur opportunum?

117. Resp. 2. per *gratiam*, ad quam impetrandam disponi hominem per Attritionem declarat Synodus, omnino intelligendam esse gratiam Sanctificantem, non autem gratiam actualem Contritionis. Ratio est:

Primò: Si Synodus per vocem *gratia* nolebat intelligi gratiam sanctificantem, sed Contritionem, non poterat uti voce *gratia*. Cum enim controverteretur inter Doctores an Attritio (de qua illo loco Tridentinum) disponeret accedente Sacramento ad gratiam, per hanc intelligendo gratiam habitualem; si putabat Synodus ad hanc non disponere, & nihilominus asseruit disponere ad gratiam, quid hoc erat aliud, quàm fideles in perniciosissimum errorem præcipites agere, ut nempe per *gratiam* putarent illic intelligi gratiam sanctificantem, prout patuit ex effectu, nam Auctores unanimiter censent sermonem eo loco esse de gratia sanctificante.

118. At, inquit P. Farvacques, aliud per gratiam hoc loco intellexit Vivaldus in Candelabro aureo de Attrit. num. 7.

Resp. Ita intellexerit Vivaldus (quamquam hoc non clarè dicat) hanc tamen explicationem esse planè alienam à mente Concilii patet tum aliunde, tum quia nemo ante Vivaldum (ut ipsemet ibidem fatetur) verba illa hoc sensu intellexit; & Vivaldo posteriores unanimiter censuerunt in illis verbis agi de gratia habituali, prout exigit contextus, & usitatus loquendi modus.

119. Secundò, Si Synodi mens fuisset tradere, quòd Attritio disponat ad Contritionem, debuisset id exprimere per vocem *Contritio*, non autem per vocem *gratia*: nam vox gratia dum sumitur pro gratia actuali, non magis significat Contritionem, quàm alium quemcumque actum supernaturalem. Et apud scriptores inusitatus planè loquendi modus est, ut, dum dicunt hunc vel illum actum disponere ad gratiam, per gratiam intelligant Contritionem, vel aliam gratiam actualem, nisi vel ex adjunctis

junctis verbis, vel ex materia, quæ tractatur, satis appareat agi de gratia actuali ulteriore impetranda per rectum usum gratiæ prioris. Jam autem Tridentinum hoc loco agit de justificatione peccatoris per Sacramentum, & eodem capite paucis lineis interjectis utens voce *gratia*, per illam intelligit habitualem, ut dum in fine capitis dicit: *Quamobrem falsò quidam calumniantur Catholicos scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre.* Ubi vox *gratia* manifestè significat habitualem, quare idem intelligit dum paulò superius dixit Attritionem ad gratiam disponere.

120. Tertiò Synodus non dixit simpliciter quòd disponat ad gratiam impetrandam, sed quòd disponat ad eam impetrandam *in Sacramento*. Cur addidit *in Sacramento*? nisi quia voluit intelligi gratiam, quam confert Sacramentum; hæc autem est gratia habitualis, non autem gratia Contritionis: hæc enim, utpote dispositio, prævia est ad Sacramentum, non autem per hoc confertur. Quare perperam addidisset *in Sacramento* ad gratiam disponere, si per gratiam voluisset intelligi Contritionem, quæ est dispositio prævia ad Sacramenti susceptionem.

QUARTUM INDICIUM. Nihil dicitur de Attritione, quod non perquè possit dici de Fide ad justificationem proximè non disponente. Fides enim est donum Dei, sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequit, & eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.

121. Resp. 1. & quæro ab hoc Auctore, an quod dicit Tridentinum de Contritione in genere, nempe quòd *præparet ad remissionem peccatorum*; item quæ habet de Contritione Charitate perfecta, quòd scilicet *hominem Deo reconciliet, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur*: Quæro, inquam, an hæc omnia non possint etiam bono aliquo sensu dici de Fide? Si neget, ostendat, cur non æquè, quàm quæ Synodus tradit de Attritione; præsertim cum Scriptura variis locis dicat hominem Fide, vel per Fidem justificari, cumque Magdalena à Christo audierit: *Fides tua te salvam fecit*; quæ tamen sine Sacramento justificationem adepta est. Quòd si fateatur ea, quæ Synodus dicit tum de Contritione in genere, tum de prima ac præcipua illius specie, bono aliquo sensu dici posse de Fide, nihil mirum, si de hac etiam dici possint, quæ tradit de Attritione. Sicut ergo illa priora, si de Fide dicantur, fatendum erit dici in alia planè significatione, tum quia aliunde constat Fidem non esse dispositionem proximam, tum ab alias rationes, ita quoque si id, quod de Attritione dicitur, diceretur de Fide.

122. Resp. 2. directè negando assumptum, & dico in iisdem circum-

 stantiis

stantiis non potuisse omnia dici de Fide, quæ de Attritione tradidit Synodus. Nam de Attritione ex metu gehennæ, quam multi Catholici asserebant cum Sacramento sufficere ad justificationem, quorum in hoc puncto doctrinam rejiciebat & graviter incusabat Lutherus, de hac, inquam, Attritione sic statuit Tridentinum. 1. tradit tres partes quasi materiales hujus Sacramenti, ex institutione Dei in pœnitente requisitas ad *integritatem Sacramenti & plenam ac perfectam peccatorum remissionem:* harum primam assignat Contritionem, quam separatim tractans in duas dividit species, nempe Contritionem perfectam & Contritionem imperfectam, & hanc dicit vocari Attritionem, eamque describit per proprium motivum, nempe *ex gehennæ & pænarum metu.* De Contritione perfecta pronuntiat, quòd justificet ante actualem Sacramenti susceptionem: de Attritione verò, quòd, licet per se non perducat ad justificationem (quod dixerat Contritionem perfectam facere) ad gratiam tamen seu justificationem in Sacramento impetrandam disponat. Quòd si eodem modo ante Concilii Tridentini tempora fuisset controversum inter Doctores, an sola fides in Christum accedente Sacramento peccatorem Deo reconciliet, & Catholicos id affirmantes insectati fuissent hæretici; si contra hos coactum Concilium statuisset, tres esse partes materiales hujus Sacramenti, ex institutione Dei requisitas in pœnitente ad integritatem Sacramenti, plenamque ac perfectam peccatorum remissionem: hos autem actus enumerasset motum internum, confessionem externam & satisfactionem: ac primum quidem actum fusiùs explanans, duplicem illius motus interni produxisset speciem, nempe Contritionem, ac fidem in Christum: tum denique de Contritione asseruisset, eam sine actuali Sacramento justificare, fidem verò in Christum id per se non præstare, sed ad gratiam seu justitiam in Sacramento impetrandam disponere. Si hæc, inquam, hoc modo in illis circumstantiis per impossibile de Fide dixisset Synodus, non dubitarem, quin sola Fides in Christum sufficeret cum Sacramento Pœnitentiæ: præcipuè si, postquam ita locuta fuisset Synodus, Auctores ex verbis Synodi passim tradidissent solam fidem in Christum cum Sacramento sufficere, & ita instructi fuissent fideles, nullo per integrum sæculum contradicente Pontifice. Cum ergo falsum sit fidem solam sufficere cum Sacramento, non potuit ulla legitima Synodus eadem & in iisdem circumstantiis tradere de fide, quæ dicit de Attritione.

123. Opponit prætereà §. 5. pag. 44. Quando Tridentinum dicit: *Et quamvis sine Sacramento Pænitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pænitentiæ impetrandam disponit.*

disponit. Nullam facit oppositionem, cum non sit inter eosdem terminos.

Resp. manifestum est ex toto contextu hic fieri oppositionem, neque ad hanc requiritur, ut sit inter eosdem terminos materiales, sed sufficit esse terminos idem significantes, quales esse, quibus hic utitur Tridentinum, satis superque toto hoc paragrapho monstratum est.

§. 2.

Alia argumenta, quibus Author Xenii probare nititur agi de dispositione remota.

CONatur Auctor Xenii cap. 3. § 3. pag. 40. ex ipsis meis assertis evincere, quòd Tridentinum sess. 14. cap. 4. agens de Attritione, loquatur de dispositione remota. Videamus, quàm parum solidè.

124. Arguit 1. Si verba Lutheri & Tridentini supra relata cum invicem componantur, clarum fiet, quòd Synodus illum Contritionis modum tueatur ac adstruat, quem rejiciebat Lutherus. Tum sub hâc majore propositione à me assertâ sic subsumit: Atqui Lutherus loquebatur de Attritione, quæ juxta Catholicos non disponebat proximè ad justificationem; ergò &c. Minorem probat ex verbis Lutheri supra num. 100. *Hæc est illa Contritio, quam ipsi vocant extra Charitatem non meritoriam: alii vocant Attritionem* PROXIME DISPONENTEM *ad* CONTRITIONEM, *sic enim ipsi opinantur, quam opinionem errorem ego judico.* Quo loco non dicit Lutherus proximè disponere ad *gratiam seu justificationem*, sed ad *Contritionem*, id est, inquit Auctor Xenii ad *motum Contritionis.*

Resp. 1. cur non subsumpsit hoc modo? atqui Lutherus asserebat peccatores cum nostra Attritione *indignè absolvi & communicari* ut patet ex ejus verbis supra num. 100. adeóque negabat illam Attritionem esse dispositionem proximam ad absolutionem, ejusque effectum nempe gratiam justificantem; ergò &c.

125. Resp 2. hoc objicere, nihil est aliud, quàm in verbis velle ludere. Quis enim ignorat usitatissimum fuisse apud Theologos hunc loquendi modum, quòd Sacramentum ex attrito faciat contritum, quòd Attritio per Sacramentum superveniens fiat Contritio: quo loquendi modo significabant attritum accedente Sacramento justificari, ut videre est apud Gabrielem & plures ex antiquis: sive ut loquitur Joannes Puteanus Ord. S. Augustini in 3. part. quæst. 90. dub. 1. Attritio cum Sacramento est Contritio quædam virtualis, operatur enim illud idem in nobis, quod præstaret Contritio. Et dub. 2 postquam dixisset Attritionem nostram cum Sacramento justificare, subjungit: *Propter hanc*

 causam

causam docent multi scholastici Attritionem fieri Contritionem. Et in hoc sensu usitatissimo verba illa sumpsisse Lutherum, ex ipso redditur manifestum: nam cum eodem loco pronunciasset suam sententiam, quòd nempe absolutione indigni sint, qui solummodo conteruntur ex timore, de hoc eodem actu subjungit, quòd à Catholicis vocaretur Attritio proximè disponens ad Contritionem, ubi sine dubio proponit sententiam Catholicorum, ei, quam prius tradiderat, oppositam. Idem rursus patet ex Captivit: Babylonica Tit. de Pœnitent. ubi sic loquitur: *Finxerunt* (Catholici) *quamdam Attritionem, quę virtute clavium fieret Contritio, eam donant impiis, & sic universa* CONTRITIO *abolétur.* Ubi ex eo quòd Catholici dicerent Attritionem virtute clavium fieri Contritionem, asserit ab illis aboleri Contritionem, nempe illam, quæ Attritioni opponitur, & quæ concipitur ex amore justitiæ, ut eam definierat sermone de Pœnit. Ergo Attritionem fieri Contritionem, vel proximè disponere ad Contritionem, non est fieri actum Contritionis, aut ad hunc disponere, sed est æquivalere Contritioni cum Sacramento, & disponere ad Sacramentum, quo accedente fit virtualis Contritio, in quantum eundem effectum nempe gratiam causant. Et hoc modo Lutherum intellexerunt, qui illum olim oppugnarunt.

126. Objicit 2. Tridentinum initio sess. 14. spondet exactiorem, pleniorem ac perspicuam definitionem de hoc Sacramento, ut Catholica veritas perspicua & illustris fiat. Atqui talem definitionem non traderet, si ea quæ cap. 4. tradit de Attritione deberent intelligi de dispositione proxima, & tamen Synodus non adderet vocem *proximè* Ergo &c. Prob. minor, quia si addidisset voculam *proximè*, fuisset perspicua definitio, & alto silentio pressæ fuissent tot scholasticæ rixæ.

Resp. 1. ergo juxta hunc Auctorem perspicua fuisset doctrina, & tot scholasticæ rixæ suppressæ fuissent, si addita fuisset vox *proximè*. Si ita est, fateri cogitur, se perspicuam veritatem oppugnasse, dum in tota ferè Quæstione Quodlibetica supposuit, in verbis Tridentini agi de dispositione proxima, & nihilominus controversiam movit, an nostra Attritio sufficiat. Certè Exim. P. Lupus indubitatè asserit agi de dispositione proxima, sed nè tamen contra nostram sententiam disputat.

127. Resp. 2. nullo modo necesse fuisse, addi vocem *proximè*. Ratio est, quia Tridentinum sess. 14. capite 3. post assignatam formam hujus Sacramenti, de materia ejusdem ita loquitur: *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confessio & Satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque ac perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes*

partes dicuntur. Tum subjungit Sacramenti effectum. Agit hîc Synodus de materia hujus Sacramenti legitima, & quam Christus requisivit ad integritatem & effectum Sacramenti; illam autem materiam asserit esse tres actus pœnitentis, Contritionem &c. Tum capite sequenti seorsim tractat de prima parte nempe Contritione, *quæ* (ut ibidem loquitur Synodus) *primum locum inter dictos pœnitentis actus habet.* Hanc Contritionem Sacramenti partem postquam in genere definivit; duplicem statuit ejus speciem, alteram Contritionem Charitate perfectam, quæ sine actuali Sacramento peccatorem Deo reconciliat, alteram verò Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam ex gehennæ metu communiter concipitur &c. Sensus igitur Tridentini est hic: Tres sunt partes quasi materiales hujus Sacramenti ex parte pœnitentis, quæ ad integritatem Sacramenti, ejusque effectum peccati remissionem ex institutione Christi requiruntur. Prima pars est Contritio, quæ duplex est, nempe vel Charitate perfecta, vel imperfecta, quia ex metu gehennæ concepta. Cum igitur hæc Contritio imperfecta, seu Attritio statuatur à Synodo esse pars materialis hujus Sacramenti, qualem instituit Christus, & ad integritatem ac effectum Sacramenti requisivit, nullo modo necesse fuit addere, quòd accedente confessione & absolutione disponeret proximè ad justificationem, nisi dicas, etiam capite 3. dici debuisse Contritionem &c. esse materiam *proximam*: quod tamen nemo requisivit, quia censent omnes sufficienter ibi exprimi, quòd illæ partes sint partes materiales *proximæ* per hoc quòd Synodus ibidem, traditâ formâ, Contritionem, & Confessionem assignet pro hujus Sacramenti materia ad integritatem Sacramenti & perfectam remissionem peccatorum ex institutione Dei requisitâ.

128. Atque hac ratione intellectum Tridentinum exactam & plenam tradit de hoc Sacramento ejusque partibus doctrinam, qualem initio illius sessionis promittit. Si verò intelligatur de dispositione remota, jam tradet doctrinam planè diminutam: nam in quæstione, illo & anteriori tempore maximè controversâ, quænam nimirum sit Contritio, quæ sit hujus Sacramenti pars materialis, & non nisi cum actuali Sacramento sufficiens ad justificationem, nihil omnino determinabit, sed nobis relinquet divinandum. Estne hoc tradere pleniorem, exactiorem & perspicuam doctrinam?

129. Instat. Si perspicuum sit Tridentino sermonem esse de dispositione proxima, quomodo doctissimi Theologi id non viderunt in Tridentino?

Resp. si perspicuum non est, quomodo Theologi adeo unanimiter id tam

id tam clarè viderunt in Tridentino, ut de eo non dubitarint? Certè si, quia pauci aliqui Tridentinum aliter intellexerunt, id propterea clarum non sit à Synodo tradi, fateri cogemur nihil ferè esse, imò vix esse posse adeo clarè traditum, ut perspicuum sit. Nonne perspicuè docet Synodus Attritionem ex metu bonam esse? nosti tamen, quinam dixerint illam esse mortaliter peccaminosam. Plurima ejusdem generis facillimum esset adducere, si opus foret. Constat autem à tempore Tridentini usque ad annum hujus sæculi quadragesimum fuisse adeo paucos, qui verba Tridentini aliter exponerent, ut vix censeri possint numerum facere: & hi ipsi tum in expositione Tridentini, & assignatione Attritionis cum Sacramento sufficientis adeo inter se diffident, ut vix duos sit reperire, qui in eandem sententiam conveniant, ut ostendam infra.

130. Tertiò pag. 42. assumit hanc ex me propositionem: Synodus sess. 14 cap. 4. dum dicit Attritionem disponere, loquitur eodem modo quo sess. 6. cap. 6. ubi ait: Disponuntur autem ad justitiam, dum credentes timore concutiuntur, sperant ac Deum diligere incipiunt, proponentes suscipere Baptismum &c. Tum subsumit: Atqui Tridentinum sess. 6 cap. 6. non dicit, quòd timor, aut ex hoc solo motivo conceptus dolor proximè disponat ad justificationem: ergo &c.

Resp. non dubitare me, quin Auctor Xenii satis viderit hoc argumentum planè nullum esse: nam in argumento ad hominem (ut vocamus) assumi debet propositio alterius eo sensu quo enuntiata est, alias perperam sub ea subsumitur & concluditur. Asserui Tridentinum tam sess. 6. cap. 6. quàm sess. 14. cap. 4. usum esse eadem voce *disponere*, & neutro loco addere vocem *proximè*, & tamen dum sess 6. cap. 6. actus disponentes enumerat Fidem, timorem, Spem, & dilectionem, certum est, etiam juxta adversarios, quòd complexum ex his omnibus actibus sit dispositio proxima, & nihilominus Synodus omissa voce *proximè*, simpliciter dicit hos actus *disponere*. Ex hac mea propositione formet, si potest, argumentum legitimum ad hominem.

131. Objicit 4. juxta nos, quod dicit Tridentinum de Ninivitis, adfertur ad probandum, quòd dolor ex metu ghennæ conceptus sit actus bonus. Ergo similiter dum dicitur quòd ad gratiam in Sacramento impetrandam disponat, tantùm adfertur ad probandam bonitatem actus.

Resp. negando conseq. nam cum hanc Attritionem assignet tamquam speciem Contritionis in genere, quæ Contritio est pars materialis hujus Sacramenti, ex institutione Dei requisita ad Sacramenti integritatem, & perfectam remissionem peccatorum, cùm faciat illam opposi-

oppositionem, quòd non reconciliet sine Sacramento (sine quo reconciliat Contritio perfecta) sed ad gratiam disponat in Sacramento, & reliqua, quæ hactenus deduximus, longè plus facit, quàm probare solam illius actus bonitatem.

CAPUT IV.

An Attritio ex spe gloriæ, aut metu gehennæ excludat positivè voluntatem peccandi?

HAnc quæstionem fusè tractaverat Exim. P. Farvacques in quæst. Quodlib. contendens actum sive Spei sive timoris gehennæ non posse positivè excludere voluntatem peccandi. Ego in Tract. de Attrit. cap. 5. rationes singulas ab ipso adductas refutavi, & contrariam sententiam stabilivi argumentis plurimorum judicio evidentibus. Resumit nihilominus eamdem quæstionem Xenii cap. 4. & per plures paragraphos suam contra nos sententiam tentat stabilire. Videamus an meliore successu.

132. Duo quæpiam præmittit §. 1. alterum est, quòd ad positivam exclusionem voluntatis peccandi requiratur, ut cum tali affectu non possit in eadem anima conciliari & consistere voluntas peccandi mortaliter: de qua re cum ab initio inter nos convenerit, opus non est pluribus agere. Alterum est, quòd peccatum mortale sit *quidam saltem interpretativus contemptus amicitiæ divinæ, qui non habetur in peccato veniali.* Hoc item facilè admittam, dummodo similiter fateatur (uti facturum credo) quòd is, qui peccat mortaliter, parvipendat & interpretativè contemnat amissionem gloriæ & incursionem gehennæ, sive horum periculum. Ideo enim, qui peccat mortaliter, interpretativè contemnit amicitiam divinam, quia cum cognoscat peccato mortali tolli amicitiam divinam erga se, hoc tamen non obstante peccat mortaliter. Ergo similiter qui novit peccato mortali amitti jus ad gloriam, & incurri gehennam, seu horum periculum, si non obstante ea cognitione peccet mortaliter, interpretativè contemnet periculum amittendi gloriam & incurrendi gehennam. Idem ostendetur quocumque demum modo explicet illum contemptum interpretativum. An autem, ut ibidem asserit hic Auctor, essentialis ratio peccati mortalis sita sit in illo interpretativo comtemptu amicitiæ divinæ, infra examinabimus.

133. Dixeram in Tract. de Attrit cap. 5. num. 57. Si quis neget desiderium firmum & absolutum beatitudinis posse excludere positivè

omnem voluntatem peccandi (& idem est de simili timore seu fuga gehennæ) illum sibi præcludere viam omnem, qua probet amorem Dei cum peccato simul stare non posse, nec quidquam allaturum pro amore, quod non pariter militet pro actibus timoris & Spei, de quibus disputamus. Adduxeram ibidem compendiosè & exempli causa implicantiam, quam possent proferre Adversarii: *Diceas enim*, inquiebam, *si amans Deum peccaret mortaliter, amaret Deum, & non amaret; vellet Deo bonum & non vellet. Quos actus cum impossibile sit simul componi, necesse est excludi peccatum dum adest amor Dei.* Ostenderam insuper eamdem implicantiam locum habere in Spe & timore, si cùm alterutro illorum staret mortale. Hanc implicantiam rejicit P. Farvacques tamquam *argumentandi genus inane*; aliamque ipse substituit, quam vocat *claram & manifestam*, putatque locum non habere in Spe aut timore. Quæ an ita sint videamus.

§. 1.

Examinatur implicantia, quam adfert Auctor Xenii.

REjectâ ut dixi implicantiâ à nobis propositâ aliam adfert cap. 4. Xenii §. 2. pag. 47. quâ putat rem totam evidenter confici: eam autem his verbis proponit.

134. *Respondeo hanc esse claram & manifestam rationem, quòd manifestè repugnet, ut quis contemnat & vilipendat amicitiam divinam per peccatum mortale, & simul per Charitatis affectum Deum tamquam fundamentum omnibus præponat: nequit enim simul fieri, ut, quod omnibus præferimus, simul vilipendamus. Quia ergo quolibet peccato mortali amicitia divina contemnitur, quolibet autem affectu Charitatis amicitia divina omnibus præfertur, nedum contemnitur; tam clarum est, affectum Charitatis excludere positivè voluntatem peccandi mortaliter, quàm clarum est, idem non posse omnibus præferri, & non præferri; contemni, & præ omnibus æstimari.*

135. Addit ex hac ratione *patere, quòd propria & essentialis ratio affectus Charitatis directissimè opponatur propriæ & essentiali rationi voluntatis peccandi mortaliter. Propria enim & essentialis ratio affectus Charitatis, de quo agimus, sita est in eo, quòd Deum summè æstimes, & (ut minimum virtute) omnibus præferat. Propria autem & essentialis ratio voluntatis peccandi mortaliter sita est in eo, quòd Deum vilipendas, & creaturam Deo præferas.*

In hoc argumento multa sunt obscura, dubia, & incerta, si non omninò falsa: tantum abest, ut sit ratio clara & manifesta, qualem esse censet Auctor Xenii.

136. Ac primò quidem, licet fateat certum esse, quòd nequeat idem absolutè

absolutè omnibus præferri, & non præferri, seu alicui de facto postponi: omnino tamen nego id esse certum in principiis hujus Auctoris, aut umquam ab ipso probandum, nisi evertat illa, quæ alibi asserit. Nam pag. 48. ita loquitur: *Maximè possibile est, ut ratione diversorum affectuum quis amet & non amet, velit Deo bonum & non velit.* Ergo juxta P. Farvacques potest quis idem velle & nolle (nam in argumento, quod ille rejicit, agitur de volitione & nolitione versantibus circa idem objectum) Si ita est, quæro ab hoc Auctore, cur similiter non possit quis ratione diversorum affectuum idem omnibus præferre, & non præferre omnibus, seu alicui postponere.

At, inquit, *vult & non vult piger*, ergo potest quis idem velle & nolle.

137. Verùm cur non eodem modo dici possit, *præfert & non præfert piger*, adeoque idem omnibus poterit præferri, & non præferri. Nam dum dicitur: *vult & non vult piger*, vel agitur de actibus successivè repertis in pigro, sic ut quod modo vult, postea oborta difficultate nolit: hoc autem eodem modo habere potest locum quoad præferre, sic nempe ut modo præferat omnibus, postea non præferat, sed postponat. Vel sensus est de nolitione absolutâ, conjunctâ tamen cum nudâ velleitate seu simplici complacentia ejusdem objecti: & hoc sensu poterit quis similiter absolutè non præferre seu postponere per effectum, & tamen præferre per velleitatem seu simplicem complacentiam; & contra. Vel denique sermo est de volitione & nolitione, utrâque absolutâ; quæ duo si asseras posse simul consistere circa idem objectum, numquam probabis, quod non possit quis idem absolutè præferre alteri, & simul absolutè non præferre, seu postponere ratione diversorum affectuum. Adde quòd non alia assignetur ratio, cur actus cujuscumque virtutis excludat vitium sibi oppositum, quàm quòd, si simul starent, voluntas idem vellet & nollet, quod juxta omnes implicat æquè, ac præferre & non præferre per affectus voluntatis.

138. Secundò: quæro unde certum sit, aut quomodo probetur quòd *quilibet affectus Charitatis* AMICITIAM DIVINAM *omnibus præferat?* Certè de essentia affectus Charitatis non est aliud, quàm ut velimus Deo bonum vel absentiam mali, præcisè quia hoc ei bonum est: in hoc autem involvi non debet, quòd præferamus omnibus, adeoque præ omnibus velimus *amicitiam Dei* erga nos, quam expetere, videri potest potiùs spectare ad amorem concupiscentiæ, est enim pro amore velle amorem reciprocum. Hinc facilè crediderim, quòd Auctor Xenii, dum dixit: *Quolibet affectu Charitatis* AMICITIA DIVINA *omnibus præfertur*; idcirco

 posuerit

posuerit prælationem amicitiæ divinæ (licet ea in actu Charitatis reperiri minimè debeat) ut hac ratione commodiùs opponeret actum Charitatis peccato mortali, cui vult esse essentiale, quòd sit contemptus interpretativus amicitiæ divinæ.

Dicit fortè, quòd per præferre omnibus amicitiam divinam non intelligat aliud, quàm prout loquitur pag. 48. nempe quòd essentialis ratio affectus Charitatis sita sit in eo, *quòd Deum summè æstimet*, &c, *ut minimum virtute, omnibus præferat*. Verùm si hæc est ejus mens

139 Tertiò, Unde quæso probabit, omnem affectum Charitatis esse vel formaliter, vel virtualiter comparativum, sic ut amicitiam divinam, vel, si mavis, Deum ipsum summè æstimet, ac omnibus præferat, in quorum usu mortaliter peccaretur? Facillimum mihi esset ostendere, quòd dari possint actus, imò de facto dentur, quibus homo Deo bonum velit, quia bonum ipsius est ibi sistendo, adeoque actus Charitatis, qui tamen Deum non omnibus præferant.

140. Quartò pag. 48. ait: *Propria & essentialis ratio voluntatis peccandi sita est in eo, quod Deum vilipendat*, id est, ut supra dixerat, in contemptu illo interpretativo. Verùm quo rursus argumento conficiet, quòd in hoc contemptu sita sit ratio essentialis, seu essentia peccati mortalis? Cum enim ille contemptus tantummodo sit interpretativus, necesse est reperiri aliquid in peccato, quod præbeat fundamentum illius interpretationis: cur ergo non æquè aut potiùs in hoc fundamento statuenda erit ratio essentialis peccati, quàm in illo interpretativo? certè non solet essentia rerum statui in interpretativo, sed potiùs in illius fundamento, quod rei inest independenter ab interprete.

141. Dicet fortassis, se per rationem propriam & essentialem non aliud intelligere, quàm id quod necessariò reperitur in omni peccato mortali, sive dicatur esse essentia metaphysica, sive non. Si hoc sensu loquatur.

Resp: Si is, qui habet spem aut timorem gehennæ (prout de illis disputamus) peccaret mortaliter, aliquid necessariò reperiendum in isto peccato (in quacumque demum specie mortaliter peccet) quod stare nequeat cum nostro actu spei aut timoris, uti §. sequenti fiet manifestum.

142. Summa igitur implicantiæ à P. Farvacques adductæ hæc, ni fallor, est, aut esse debet: Qui habet amorem Dei, de quo est quæstio, nempe super omnia, Deum summè æstimat, seu præfert omnibus in quibus peccaretur mortaliter: qui autem peccat mortaliter, Deum, vel, si velis, etiam ejus amicitiam interpretativè contemnit seu alicui postponit,

nit. Atqui fieri nequit, ut idem omnibus præferatur, & simul illorum alicui postponatur: ergo &c. Videamus an idem locum habeat in spe & timore.

§. 2.

Ostenditur eodem argumento timorem & spem excludere positivè voluntatem peccandi.

JAm, qui præcipuè propositus est nobis scopus, ostendamus eâdem argumentandi formâ (qua P. Farvacques utitur pro actu charitatis) probari, quòd actus spei & timoris gehennæ excludant positivè omnem voluntatem peccandi.

143. Ac primò quidem in spe sic formabitur argumentum. Is, qui habet actum spei (qualem requirimus) per fidem cognoscit, quantum sit bonum beatitudinis æternæ, & quam exiguum ac prope nullum ejus comparatione sit bonum quodcunque utile ac delectabile transitorium hujus vitæ. Cognoscit item certa fide illi cælesti & æterno bono consequendo obstare perceptionem cujuscumque boni utilis vel delectabilis sub mortali prohibiti. Hac consideratione motus statuit firmiter & absolutè jam & in futurum ex parte sua nullum opponere impedimentum, per quod æternum bonum amitteret, vel amittendi periculo se exponeret: & sicut ante per intellectum, ita quoque nunc per actum voluntatis, omnia bona transitoria, quæ sine mortali obtineri nequeunt, postponit summo illi ac æterno felicitatis bono, quod præfert illis omnibus. Et hoc sufficit in eo qui justificatus est. Quòd si autem stante actu jam dicto talis de facto peccaret mortaliter in quacumque demum peccati specie, jam beatitudinis consecutionem postponeret bono utili aut delectabili transitorio, illamque interpretativè contemneret, quandoquidem actualiter cognoscat, quovis mortali jus ad beatitudinem deperdi. Subsumo cum Auctore Xenii: Atqui clarum est, non posse idem omnibus præferri, & simul eorum alicui non præferri, contemni, & simul præ omnibus æstimari: ergo clarum est, affectum spei, quem requirimus, excludere positivè voluntatem peccandi mortaliter, sive repugnare omni peccato mortali, cum quodlibet illorum, quod à sic sperante fingatur committi, necessario contineat interpretativum contemptum beatitudinis seu periculi eâ excidendi, quam tamen simul per spem præponit omni bono utili & delectabili prohibito sub mortali. Ecce argumentum ejusdem formæ, & eorumdem prope verborum in spe, prout Auctor Xenii discurrit de amore.

144. Neque, ut arbitror, respondebit, non posse hominem sine amore benevolentiæ erga Deum præferre beatitudinem omni bono utili & delectabili, cujus fruitio esset peccatum mortale. Cum enim, sine ullo Dei amore, ex duobus bonis ferè æqualibus homo possit unum alteri præferre, sive hoc velle præ illo, idque sive comparatio fiat inter duo bona licita, sive inter illicita; qua specie veritatis dici posset, quòd nequeat summum ac interminabile bonum malle, seu præferre paucis quibusdam & exiguis bonis transitoriis, in quorum electione peccaretur mortaliter. Sicuti ergo amans Deum per hoc, quòd velit bonum Dei, cui novit contrariari peccatum mortale, præfert Deum, seu, ut ipse loquitur, præfert amicitiam divinam iis omnibus, in quibus reperitur ratio peccati mortalis: ita quoque qui habet spem seu desiderium absolutum beatitudinis, sive talem amorem sui, cui novit contrariari quodvis mortale, consecutionem beatitudinis securam & periculi expertem præfert iis omnibus, in quibus mortaliter peccaretur: atque adeo fertur in eadem omnia objecta materialia, in quæ fertur is qui Deum amat super omnia cum sola differentia in objecto formali.

145. Ea, quæ hactenus diximus, procedunt in hypothesi; quòd is, qui sic speiat, sit justus: ex quo facilis est consequentia ad eumdem actum existentem in peccatore: nam sicuti in amore, quem pro Attritione requirit P. Farvacques, si is ponatur esse in peccatore, amor ille, præter exclusionem peccati actualis, movebit insuper ad adhibenda remedia necessaria ad delendum habituale, quod amicitiam divinam impedit: ita quoque fiet in spe; peccator enim cognoscens se bonum transitorium prætulisse æterno, adeoque sibi satis non esse ad salutem, à peccatis abstinere in posterum, sed insuper veniam obtinendam peccati commissi, dolens quòd tam vile bonum prætulerit summo ac æterno, statuit adhibere remedia, quæ necessaria sunt, ad hoc impedimentum beatitudinis tollendum.

146. Facile erit idem argumentum formare de timore: qui enim habet actum timoris, de quo agimus, cognoscit pœnas gehennæ gravissimas esse ac æternas, easque sive earum periculum incurri per mortale quodcumque: novit etiam difficultatem, quæ est in observatione mandatorum Dei, nullam esse, si conferatur cum pœnis gehennæ; quare eligit illam difficultatem transitoriam potiùs assumere, quàm gehennam seu ejus periculum incurrere, atque adeo evitationem gehennæ & periculi præfert carentiæ difficultatis transitoriæ, quæ est in observatione præceptorum. Quod si autem stante tali actu peccaret mortaliter, jam evitationem difficultatis repertæ in observatione mandatorum præferret

evitationi

evitationi gehennę ejusve periculi, atque adeo hoc interpretativè contemneret. Atqui certum est, non posse idem omnibus præferri, & simul non præferri, sed postponi ac contemni: ergo &c.

Hinc patet, quoad exclusionem peccati, nihil adferri disparitatis inter actum amoris Dei, & actus spei aut timoris.

147. At, inquit P. Farvacques pag. 48. Charitas tamquam Regina virtutum imperat omnibus virtutibus, ac proinde per affectum suum resistit omnibus peccatis mortalibus.

Resp. verum esse, quòd Charitas sit virtutum præstantissima, & hoc sensu Regina: verùm præstantia ut sic, non facit, ut excludat peccata contra virtutes inferiores, aliàs enim quælibet virtus, quibusdam aliis præstantior, excluderet omnia peccata contra virtutes inferiores, quod nemo dixerit. Actus quidem charitatis, si objectum suum sufficienter appretiet super omnia, excludit omne peccatum mortale, sed id oritur ex speciali modo tendendi illius affectus, quo stante, si simul poneretur mortale, esset contradictio. Atqui, ut jam ostendimus, esset eadem contradictio, si habens spem vel timorem, qualem requirimus, peccaret mortaliter. Ergo ex illa voce *Regina* nihil speciale quoad hunc effectum colligi potest pro affectu charitatis.

148. Sit igitur Charitas Regina virtutum: sed timor est Reginæ custos, armatus ac vigil miles, protector, &c. qui omnia adversantia retundat & à Regina procul arceat, & sic gratiam sanctificantem seu habitum Charitatis in homine justo conservet. *Timor enim à lapsu* PROTEGIT, *quia odit vitia*, *virtutes* CVSTODIT, *cor sedula* VIGILANTIA *observat, ab ingressu ejus* NOXIAS COGITATIONES *repellens* CLAVA TERRIBILI *videlicet memoria æternæ pœnæ. Timor domini fiducia est fortitudinis*, *&* *qui illum possidet* NON CORRVET. *Dei timor fugat crimina*, *&* *perpetem confert bene agendi voluntatem. Delicta semper* EXCLVDIT *&* *mentem conservat*. Hæc & plura B. Laurentius Justinianus Tract. de Timore cap. 2. quem vide in Respons. ad Epist. Famil. num. 58. Juvabit etiam audire S. Chrystomum Homil. 15. ad Populum Antiochenum, ubi sic loquitur: *Quid gehenna gravius? sed hujus metu nihil utilius: gehennæ namque timor regni nobis affert coronam. Ubi timor est, livor non est. ubi timor est, pecuniarum amor non vexat: ubi timor est, extinctus furor est, cupiditas improba correpta, omnis irrationabilis passio exterminata. Et sicut in domo stante milite semper armato, non latro, non fur, non alius quis talia mala patrantium apparere propius audebit: sic & metu animas nostras detinente, illiberalium nulla perturbationum facilè nobis subrepit, sed omnes fugiunt, & pelluntur timoris imperio undique exactæ..... cum timore viventem impossibile est peccare:..... Timor nihil aliud est; quàm murus, & mu-*

& munimentum, & turris inexpugnabilis &c. In eumdem ſenſum loquuntur Auguſtinus, Gregorius, Ambroſius, Proſper, Hieronymus, Baſilius, Hugo de S. Victore, aliique Patres à nobis adducti Tract. de Attrit. cap. 5. & alibi. Adeo conſtanter & unanimiter hanc apertiſſimam veritatem tradunt Patres.

149. Inſtat pag. 49. Actus Spei deſtitutus actu dilectionis Dei propter ſe, nullam habet repugnantiam cum propria & eſſentiali ratione peccati mortalis, quia nempe Spes non reſpicit amicitiam divinam: ergo non excludit poſitivè voluntatem peccandi mortaliter.

Idem argumentum ſic format in timore. Timor gehennæ nullam habet repugnantiam vel contrarietatem cum ratione propria & eſſentiali cujuſcumque peccati mortalis: propria enim ratio cujuſcumque peccati mortalis petitur ex odio & contemptu amicitiæ divinæ; timor autem gehennæ nullo modo conſiderat amicitiam divinam; ergo non excludit poſitivè voluntatem peccandi.

150. Reſp. tranſeat utriuſque argumenti antecedens, nego utramque conſeq. Nam ad hoc, ut ex duobus actibus unus poſitivè excludat alium, ſufficit eſſe tales, ut ſi ſimul ſtarent in eodem, voluntas idem vellet & non vellet, ſive id præponeret omnibus, & ſimul alicui non præponeret. Atqui id fieret ſi cum Spe aut timore, prout de iis agimus, ſtaret peccatum mortale actuale. Cum ergo tota ratio, quam adfert hic Auctor pro excluſione peccati per amorem, etiam locum habeat in Spe & timore, quòd nempe voluntas idem præferret & non præferret, ſeu interpretativè contemneret; fruſtraneum eſt quærere, an illa ratio, quæ ſimul præferretur & non præferretur ſit eſſentialis nec ne, cum non magis poſſit voluntas ſimul præferre & non præferre eamdem rationem non eſſentialem, quàm eſſentialem; certè ſi id facere poſſet circa rationem non eſſentialem, poſſet etiam circa eſſentialem.

151. Dixi, tranſeat antecedens, quia revera Spes magis conſiderat amicitiam divinam erga nos, quàm illam conſideret affectus Charitatis. Cum enim Spes ſit deſiderium beatitudinis obtinendæ per media neceſſaria, ſperans autem cognoſcat, admittendos ad gloriam ſolos illos, quos gratia habituali donatos Deus amat, in hæc omnia tendit Spes ſaltem confuſè aut virtualiter. Amans autem Deum propter ſe, nullo modo conſiderare debet amicitiam Dei reciprocam, ut dictum eſt num. 138.

Similiter oſtendetur timorem ſeu fugam gehennæ reſpicere, ſi non poſitivam amicitiam divinam, ſaltem negativam ſeu carentiam odii divini; hoc autem non vult vitare, qui mortaliter peccat, adeoque interpre-

terpretativè contemnit seu vilipendit carentiam odii divini contra se. Non ostendetur autem, quòd ratio essentialis peccati mortalis sita potius sit in contemptu interpretativo positivæ amicitiæ divinæ, quàm in simili contemptu amicitiæ negativæ seu carentiæ odij divini.

152. Dices: in hoc differt timor ab affectu Charitatis de quo agitur, quòd stante Charitatis affectu non possit in eadem anima simul esse affectus vehementior, qui sit peccatum mortale. Stànte autem quocumque timore possit in eadem anima esse affectus vehementior, qui sit peccatum mortale. Ita Auctor Xenii pag. 53.

Resp. negando ass. Si enim præferre simul & non præferre, seu velle simul & non velle non impediat, quo minus possit stante timore adesse affectus vehementior, qui sit peccatum mortale, nunquam probabis, non posse cum amore stare affectum vehementiorem mortaliter malum. Nam sicut amor ille Deum præfert omnibus, in quibus peccaretur mortaliter, & hoc sensu super omnia; ita quoque Spes præfert beatitudinem omni bono delectabili, in cujus usu mortaliter peccaretur, adeoque simili sensu est super omnia. Et idem est in timore.

153. Dices. Dari potest peccatum mortale, quod non sit contemptus interpretativus periculi gehennæ, atqui hoc non potest positivè excludi per timorem gehennæ, ergo &c. Probatur Major, in homine, qui nesciret gehennâ puniendos, qui peccant mortaliter.

Resp. distinguendo majorem: potest dari mortale, quod non sit contemptus interpretativus gehennæ, in illo, de quo agimus; nego: in quopiam alio, transeat. Is enim de quo agimus, scit quovis mortali incurri gehennam, quam idcirco timet, adeoque non potest ab illo committi mortale, quod non sit contemptus interpretativus gehennæ, adeoque in illo subjecto stante metu fundato in illa cognitione, nequit stare ullum peccatum. Ut autem positivè excludat voluntatem peccandi, sufficit si excludat omne peccatum à suo subjecto, non autem requiritur, ut excludat peccata aliorum, cum id nequidem faciat actus Contritionis: hic enim elicitus à Petro non excludit positivè peccatum Pauli. Hoc argumentum volui simul proponere, quia dubito, utrum non hoc sensu intelligat Auctor Xenii, dum dicit timorem non repugnare propriæ & essentiali rationi peccati mortalis.

§. 3.

Respondetur ad reliqua, quæ circa hanc quæstionem profert Auctor Xenii.

PRimò sæpe repetit actus timoris & Spei esse actus virtutum particularium, qui proinde non pervagantur omnia vitia, nec illa excludunt. Adeoque vult timorem (& idem est de Spe) tantùm opponi vitio alicui particulari.

154. Verùm si timor gehennę virtus sit particularis, & particulari tantùm peccato opposita, atque adeo hoc solum excludens, miror quòd illud vitium oppositum non assignaverit. Certè cum timori opponatur audacia, quę consistit in voluntate aggrediendi pericula, quę timor fugit, timori gehennæ aut periculi hanc incurrendi, qui actus bonus est, opponi debet vitium audacię, qua homo periculo gehennæ se exponat: atqui æquè se sciens & volens exponit quis periculo gehennæ, sive in specie injustitiæ, sive luxuriæ, sive in alia quacumque peccet mortaliter: ergo in cujuscumque demum peccati mortalis perpetratione reperitur audacia, timori gehennæ opposita, & per consequens timor gehennæ opponitur peccato cuilibet mortali.

Secundò rursus adfert illud hemistichium: *quem metuit, quisque perire cupit*, cui ut concilict auctoritatem, asserit esse Hugonis à S. Victore.

Resp: Si Hugonis est, ex ipso illius hemistichii sensum optimè discemus. Porrò Hugonem id non intelligere de actu timoris inter nos controverso, manifestissimum est ex iis quæ tradit Tom. 1. lib. 4. Allegor. in Lucam pag. 164. ubi non tantùm asserit timorem gehennæ excludere quodlibet peccatum, sed insuper eamdem, quam nos, assertionis suæ adfert rationem. Verba ejus dedimus in Respons. ad Epist. Famil. num. 55.

155. Tertiò allegat D Thomam dicentem: *Timor servilis non est numerandus inter dona Spiritus S. .... quia potest habere annexam voluntatem peccandi.* Ad id autem quod dixeram, illum loqui de timore servili in alio sensu, respondet Auctor Xenii: *effugium hoc est, non responsio, quia nullum in Angelico Doctore duplicis illius timoris exstat vestigium.*

Resp: non vestigium tantùm, sed & ipsam distinctionem duplicis timoris clarè in D. Thoma reperiet, qui ipsum attentè legerit, ut ostendi in Respons. ad Epist. Famil. cap. 15.

156. Solutio, quam Auctor Xenii adhibet ad argumenta à me facta pro exclusione peccati per timorem aut Spem ad hæc capita reducitur.

Primo

Primò admittit actus Spei & timoris posse excludere voluntatem peccandi, sed non immediatè, seu se solis, sed tantùm accedente actu dilectionis Dei.

Resp. Eodem jure dicam amorem, quem in Attritione requirit, non excludere se solo voluntatem peccandi, sed tantùm mediante actu aliquo Charitatis perfectissimo; Imò nec hunc probabit, se solo peccatum excludere, nisi idem probet de Spe & timore.

157. Secundò dicit probationes meas continere petitionem principii, quia in illis supponitur dilectionem Dei non esse necessariam, quod versatur in quæstione.

Resp. negando ass. Cum enim in Quodliberica probasset insufficientiam Attritionis nostræ, ex eo quòd non excludat voluntatem peccandi. Ego contra cap. 5. probavi fusè, quòd necessariò excludat peccatum, neque in toto discursu ullibi suppono, talem Attritionem cum Sacramento sufficere, sed ratio mea locum habet etiam in eo, qui jam justificatus est, adeoque non eget Sacramento. Expressè insuper egi de casu, quo peccatori in extremis constituto deest copia Sacramenti, quo casu ad salutem proculdubio requiritur actus Charitatis. Ostendi denique ad hanc quæstionem de exclusione peccati actualis per spem aut timorem, impertinens planè esse, sive Attritio se sola justificet sive tantùm mediante alio: nam si id faceret se solo, non ideo magis, minusve excluderetur peccatum actuale, quàm jam faciat, ut ostendi dicto cap. 5. Tract. de Attritione; quę omnia dissimulavit P. Farvacques, ut oppositio sua speciem aliquam videretur habere.

158. Tertiò arguit à me malè supponi, voluntatem, quam quarto loco voco efficacem, posse haberi sine dilectione Dei.

Solutio hæc refutata est supra ubi ostendi, quòd quis possit summum bonum beatitudinis præferre per affectum bonis transitoriis, & evitationem gehennæ evitationi difficultatis occurrentis in observatione præceptorum; ipse autem in tali præferentia statuit totam efficaciam actus amoris. Si neget ita præferri posse per Spem aut timorem, ostendat, quæso, quòd per amorem possit amicitia divina præferri omnibus, & sic esse efficax. Non video quomodo negari possit, dari actum efficacem eâ efficaciâ, de qua agimus, qui tamen non sit amor Dei; nisi quis fingat, nullum dari actum efficacem, nisi qui sit actus amoris Dei, adeoque non posse inter duo graviter prohibita unum efficaciter alteri præferri. Profectò si possim efficaciter detestari peccatum, quia hoc est malum Dei, cur non potero illud ipsum efficaciter detestari, quia mihi malum est.

159. Hinc patet quàm meritò Tridentinum sess. 6. cap. 6. ubi singulos actus in præparatione à se enumeratos singulis confirmat Scripturæ locis; timor, de quo egerat, (adeoque qui amorem Dei non involvat) hunc adaptet locum Eccli, 1. *Timor Domini expellit peccatum.*

CAPUT V.

Quid opponat Auctor Xenii argumentis à me adductis pro quæstione principali?

EXaminat hic Auctor cap. 5. sui Xenii pag. 54. ea argumenta, quæ pro nostrâ sententia attuleram.

§. 1.

Expenditur Solutio primi Argumenti.

PRimum argumentum desumpseram ex Tridentino, quod in proœmio sess. 14. spondet exactiorem & pleniorem de hoc Sacramento doctrinam, ac definitionem, quo demonstratis & convulsis erroribus, Catholica veritas perspicua fiat & illustris: Atqui id minimè præstaret Synodus, si Attritio, quæ cum Sacramento sufficit, de qua agit cap. 4. ejusdem sess. requireret amorem amicitiæ erga Deum, neque tamen Synodus hujus ullam faceret mentionem. Quin, si ille amor requireretur, traderet doctrinam, quæ in illis circumstantiis nata fuisset inducere in periculosum errorem, imò quæ de facto in illum induxisset; cum passim omnes post Tridentinum ex ipsis Synodi verbis persuasi fuerint, Attritionem, quæ non sit ex motivo amoris benevolentię erga Deum, sufficere cum Sacramento: cum sic passim instructi fuerint fideles, idque in praxi secuti &c. prout fusius dixi Tract. de Attrit. cap. 8. §. 1.

160. Huic argumento opponit 1. Auctor Xenii. Synodus tradit pleniorem & exactiorem de hoc Sacramento doctrinam, dum tradit materiam & formam, aliaque alibi non tradita; neque enim requiritur, ut nihil omnino omiserit Synodus: clarum enim est, quòd non determinaverit, sintne exprimendæ in Confessione circumstantiæ in eadem specie aggravantes, aliaque de quibus nondum convenit inter Theologos.

161. Resp. certissimum esse, quòd ad hoc, ut Synodus dicatur convulsis erroribus tradere doctrinam pleniorem & exactiorem, necessarium non sit minutissima quęque determinare (quod in nullo Sacramento fecit)

fecit) præsertim circa illa, in quibus utramvis partem tenueris, nihil de integritate, valore, aut fructu Sacramenti detraxeris. Alia profectò ratio est in puncto controverso, in quo agitur de parte materiali hujus Sacramenti, à qua Sacramenti valor, adeoque & hominum salus dependet. Maxima inter Tridentino antiquiores erat sententiarum diversitas circa actum cum Sacramento requisitum ad justificationem. Plurimi asserebant non alium sufficere, quàm qui per se justificat, seu Contritionem perfectam, volebantque sacerdotis absolutione peccata non remitti quoad culpam, sed illum solummodo pronuntiare & declarare peccata remissa esse pœnitenti. Hanc doctrinam damnat Tridentinum sess. 14. Can. 3. & 9. Alii præter Contritionem perfectam agnoscebant dari pœnitentiam aliam, quę non nisi accedente Sacramento sufficeret ad justificationem. Hujus actus à Contritione perfectâ discrimen petebant multi ex motivo formali, nempe timoris, Spei &c. & hunc actum pronuntiabant sufficere cum Sacramento, alii quidem absolutè, alii verò non nisi tum, quando putabatur esse perfecta Contritio. Horum sententiam tamquam erroneam exagitabat Lutherus. His positis Synodus censeri non posset tradere exactam de hoc Sacramento doctrinam. Si (cum definiat dari pœnitentiam non nisi cum Sacramento justificantem, adeoque duplicem esse partem materialem hujus Sacramenti, quantum alterutra sufficit) nullibi tamen traderet, quęnam sit illa altera pars materialis, & in quo differat à Contritione perfecta: si primam pœnitentiæ partem seorsim pertractans, eam in duas species dividat, & primam assignet Contritionem perfectam, ac deinde nullius alterius membri meminerit, quàm ejus Contritionis imperfectæ, quæ Attritio dicitur, & ex gehennæ metu concipitur, nulla facta mentione amoris benevolentiæ erga Deum: si denique, cum censeret amorem requiri, iis nihilominus verbis suam conceperit definitionem, ex quibus posteriores Auctores passim probarunt, dolorem cum Sacramento requisitum concipi non debere ex motivo amoris benevolentiæ. Ex his quis non videat (si vera esset Adversariorum sententia) doctrinam Concilii circa partem materialem, quæ ad valorem facit, nullo modo fore exactam, sed confusam, natamque in errorem inducere saluti animarum perniciosum.

162. Opponit 2. Tridentinum sess. 14. abundè meminit dilectionis Dei propter se, quando meminit *pœnitentiæ*, *conversionis ad Deum*, *Contritionis* &c.

Resp. negando ass. nam illi qui ante Tridentinum asserebant, dolorem cum Sacramento sufficientem non debere oriri ex motivo amoris

Dei, non dubitabant, quin ille actus esset pœnitentia, conversio ad Deum, imò & contritio, licet eam passim ad distinctionem à Contritione perfecta vocarent Attritionem. Certè nostram Attritionem esse conversionem ad Deum agnoscit D. Thomas supra num. 48. Et ipsum Tridentinum sess. 14. cap. 4. ubi fatente Adversario agit de Attritione in sensu nostro, eam vocat Contritionem. Quomodo ergo per eas voces sufficienter expressit, dolorem cum Sacramento sufficientem debere necessariò elici ex motivo amoris amicitiæ?

163. Instat, Synodum sess. 6. cap. 6. fecisse mentionem amoris Dei.

Resp. id non sufficere: nam cum illic agat vel de sola justificatione extrasacramentali, ut volunt aliqui, vel de utraque (ut ostensum est cap. 1. §. 1.) neque illic tradat, qualis & ex quo determinatè motivo elici debeat sive Contritio perfecta, sive Attritio, juvare id non potest ad exactam & perspicuam doctrinam de parte materiali hujus Sacramenti, cujus adeo frequens & necessarius est usus.

§. 2.

Ejusdem ad 2. argumentum Solutio.

ALterum argumentum petieram ex tam constanti & unanimi plurimorum omnis generis & conditionis consensu. Nostra enim sententia passim invaluit post Tridentinum, eâque imbuti sunt fideles: sciverunt id Pontifices, neque horum quisquam eam sententiam ut falsam aut dubiam notavit. Hinc autem peti efficax argumentum in quæstione circa materiam & formam Sacramentorum, certissimum est, ut fusius dixi Tract. de Attrit: cap. 8 §. 3.

164. Huic argumento occurrit Auctor Xenii, negando constantem illum & unanimem plurimorum consensum.

Verùm adeo manifestus est hic consensus post Tridentinum (quod solum asserui) ut negari à nemine possit.

Candelabrum suum primò impressit Vivaldus anno 1588. vigesimo quinto post absolutum Tridentinum anno. Hic titulo de Attrit: pro nostra sententia ex D. Henrico Salmantino enumerat Canum, Joannem Medinam, Durandum, S. Antoninum, Alphonsum à Castro, Waldensem, Roffensem, Tapperum, Sixtum Senensem: circa quos Auctores non aliud opponit Vivaldus, quam *quod illorum aliqui non clarè id dicant.* Tum pergit pro eadem sententia citare Barth. Medinam, Coronam, Vegam. Ac demum adfert ex Henrico Salmantino, *quòd per Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. hæc opinio tamquam vera in Academiis Italiæ & Hispania*

Hispaniæ prædicetur, sicque Magistros Salmantinos eam recepisse. Neque earum Academiarum in hanc sententiam consensum negat, aut in dubium revocat Vivaldus. Pro sua verò sententia sex tantùm nominat Auctores, quorum maxima pars, vel jam ante inchoatum Tridentinum, vel ipsius Concilii tempore vivere desierat.

165. His præmissis sic suam conclusionem statuit Vivaldus: *Sed* (SUB S. ECCLESIÆ CORRECTIONE, *judicioque meliori*) *licet pro prima opinione* TOT TAM GRAVESQUE *sint Auctores: secunda opinio mihi placet.* Fatetur igitur ingenuè, pro nostra sententia stare tot & tam graves Auctores, dumque oppositam tam circumspectè & timidè enuntiat, *Sub S. Ecclesiæ correctione*, satis indicat, se à communi tunc Doctorum sensu recedere. Denique postquam suam sententiam probasset ex sess. 6. cap. 6. concludit: *Vide per dictum caput 6. patet clarè intellectus noster ad caput* 4. *sess.* 14. LICET NULLUS SIC EXPLICET. Ex quibus omnibus manifestum fit, dum scribebat Vivaldus, sententiam nostram fuisse passim receptam.

166. Bellarminus lib. 2. de Pœnit. cap. 18. (quod opus impressit anno 1583.) asserit perspicuum esse ex Tridentino sess. 14. cap. 4. quòd Attritio ex timore concepta, accedente Sacramento justificet. Eodem anno impressit Ludovicus Lopez, qui fatetur se olim propensiorem fuisse in sententiam oppositam antiquorum, jam tamen se amplecti nostram *præcedente lumine Concilii Tridentini.* Eamdem sententiam brevi post tradiderunt Suarez & Vasquez, quos, ut ait Joannes Morinus, secuti sunt innumeri.

Joannes Puteanus Ord Erem. S. Augustini, (qui suos commentarios edidit anno 1620.) Tom. 2. part. 1. in supplem. dub 1. de nostra Attritione sic pronuntiat: *Concors est* OMNIUM *sententia, Attritionem cum Sacramento sufficere ad justificationem impii.* Neque opus est in re manifesta diutius inhærere, præsertim cum Auctor Xenii in responsione ad hoc argumentum omissis aliis recurrat ad Auctores Tridentino antiquiores.

167. Contraria, inquit, fuit opinio antiquorum, ut testatur Ludovicus Lopez.

Resp. Antiquos plerosque (si non omnes) qui in actu doloris cum Sacramento sufficientis requirebant amorem Dei, requisivisse Contritionem vi sua justificantem, quia Sacramento pœnitentiæ credebant vim non inesse, ad peccata primum quoad culpam remittenda: a qua illorum sententia cum procul sit Auctor Xenii, non video quid illi antiqui aut ipsi patrocinentur aut nobis adversentur, cum utique agnoscamus, Sacramentum

cramentum hoc posse peccata primo remittere, & sublato Sacramento (seu, quod idem est, virtute Sacramenti ad remittenda peccata) requiri actum amoris benevolentiæ erga Deum. Vide dicta in Respons. ad Epist. Famil. cap. 5. num. 53.

168. Rursus hic opponit, neminem à me productum, qui nostram sententiam docuerit ante Tridentinum; quod iterum repetit in Epistola ad RR. DD. Pastores.

Verùm hoc aliud non est, quàm in meridiana luce nolle videre. In Resp. ad Epist. Famil. cap. 3. num. 22. & seqq. produxi Jacobum Latomum tam apertè tradentem sententiam nostram, ut qui de hoc dubitet, possit eodem jure dubitare, an ego asseram dolorem ex metu sive amore benevolentiæ sufficere cum Sacramento. Neque hanc sententiam tantùm tenuit Latomus, sed insuper eos, qui nolunt adire Sacramentum Pœnitentiæ, nisi putent se dolere ex amore Dei, pronuntiat *inniti sua prudentia, divinum Sacramentum minùs justo æstimare, Deum & Sanctam ejus Ecclesiam offendere.*

169. Produxi Fisscherum Episc. Roffensem, non suo tantùm, sed & aliorum Catholicorum nomine nostram sententiam docentem, ut videre est ex ejus verbis relatis Tract. de Attrit: num. 161. & seqq. Cum ad hæc Fisscheri verba: *ego certè tam fidem, quàm dolorem* VOTO SALTEM AFFECTATUM, *exigi non dubito:* hanc in Quæst: Quodl: addidisse glossam, *id est, si putet se habere dolorem ex Charitate provenientem;* ostendi illam malè, & contra mentem Fisscheri intrusam. Neque in Xenio aliud opponit hic Auctor, quàm quòd dolor in voto non sit verus dolor. Verùm id ad propositum non facit, nam Lutherum impugnans Roffensis asserit dolorem requiri *saltem voto affectatum*, abstrahens nimirum à veritate ejus sententiæ, quæ asserebat cum Sacramento sufficere votum doloris, aut quòd quis doleret se non dolere.

170. Attuli Gabrielem, qui cum inter diversas de hoc puncto sententias etiam nostram retulisset, addit *singulas habere graves viros defensores*, ergo fuere ante Gabrielem, qui nostram docerent sententiam.

Non possum, inquit Auctor Xenii, non mirari, quòd ad Gabrielem provocetur, cum is requisiverit Contritionem perfectam.

Resp. quænam hic quæso admirationis causa? numquam dixi Gabrielem nostræ fuisse sententiæ, imò è contra quando ejus verba nostram sententiam continentia exhibui, simul monui hæc à Gabriele non ex sua, sed ex aliorum sententia dici: licet ergo Gabriel requirat Contritionem perfectam, asserit nihilominus nostram sententiam habere graves viros defensores, adeoque dicit id, ad quod ejus testimonium advocaveram

nempe

nempe quòd fuerint diu ante Tridentinum, qui nostram defenderint sententiam.

171. Exhibui verba Durandi in quibus clarè asserit cum Sacramento dolorem ex metu gehennæ sufficere.

Opponit P. Farvacques in Epistola ad Pastores, quòd non dicat Durandus sufficere Attritionem *cognitam*.

Resp. cum absolutè dicat illam Attritionem sufficere, nec ostendatur addere limitationem, *si putetur Contritio*, quis dubitet id intelligendum de cognita? Certè licet non meminerim me legere in Auctore Xenii, quòd sufficiat Attritio ex amore imperfecto *cognita*, non dubito tamen, dum dicit requiri & sufficere Attritionem ex charitate, quin id intelligat de illa Attritione cognita ut tali.

172. Denique ut alios taceam, produxi Ruardum Tapperum, qui opus suum absolverat anno 1555. diu ante finem Tridentini, & hujus actis nondum visis, ut ibidem dixi. Asserit autem Tapperus esse *probabilem Doctorum sententiam*, quòd sufficiat Attritio ex metu cognita. Imò ipse Tapperus eamdem sententiam variis locis docet, ut ostendunt ejus verba relata in Tract. de Attrit. cap 11. §.7. num. 278. & seqq: Item quæ retulimus supra num. 90.

Opponit Auctor Xenii Hæc Tapperi verba: *Attritio verò ex timore pœnarum supernaturalium idonea dispositio est ad Sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ &c.* sunt ipsissima, quæ habet Melchior Canus, ut propterea verba illa non adferantur à Tappero ex propriâ, sed ex Melchioris Cani sententiâ.

Resp. Hanc esse mirabilem consequentiam. Tapperus in hac conclusione utitur iisdem vel ferè iisdem verbis, quibus utitur Canus, ergo loquitur non ex sua, sed ex Cani sententia; præsertim cum Tapperus in hujus sententiæ deductione & probatione plurima habeat à discursu Cani planè diversa, neque facit Cani mentionem. Deinde ut esset locus aliquis huic conjecturæ, ostendi deberet, quòd Canus suam illam Relectionem de Pœnitentia impresserit ante annum 1555. quo opus suum absolverat Tapperus: quod an ita sit dum inquiro, reperi alicubi scriptum, quod hæc Relectio impressa fuerit Compluti anno 1558. biennio ante mortem Melchioris Cani; neque hactenus invenire potui impressionem anteriorem: si alia præcesserit, ea ni fallor, erit antequam Canus adiret Concilium Tridentinum, adeoque ante celebratam sessionem 14. cui interfuit, præsertim si eam impresserit, quando publicè docebat Salmanticæ, prout indicat Ant. Senensis in Bibliotheca Ord. Prædicat: & per consequens accenseri poterit Canus Auctoribus ante Tridentinum.

Quod autem ibidem addit, Tapperum hanc sententiam rejecisse, omni caret verisimilitudine, cum non hoc tantùm loco, sed variis aliis eam sententiam constanter tradat.

173. Auctores hujus Universitatis, quos magno numero pro sua sententia congesserat, ostendi exhibitis Auctorum verbis illi minimè favere. Ipse jam lectorem ad fontes remittit, quos ut quisque consulat summopere opto, dummodo totus contextus legatur, & non cursim inspiciantur pauca verba ab antecedentibus & consequentibus avulsa.

174. Duo tamen hic monet Auctor Xenii. Primum est, non bene à me responsum articulo 4. Confessionis Catholicæ Lovaniensis; quia nempe, ut ait, hæretici per terrores intelligebant etiam dolorem de peccatis, & propositum non peccandi.

Resp. hoc non monuisset, si rectè examinasset, quem dolorem, & quale propositum admiserint hæretici: quæ explicui supra cap. 2. adductis Tapperi verbis, ex quibus id discere poterit. Imò ad hoc sufficere poterant, quæ ipsemet in Appendice Quæst. Quodlib. adfert ex Tappero dicente nostram sententiam esse *probabilem Doctorum sententiam.* Ex his enim solis facile erat perspicere, quòd, dum Facultas art. 4. reprobat terrores, non rejiciat ullo modo nostram sententiam. Cum enim Facultas anno 1544. ediderit illos articulos, ad præmuniendum populum contra exorientes tunc hæreses; cui vel in mentem venire poterit, quòd eam sententiam in hæreticis tamquam erroneam & perniciosam damnarit, quam paucis post annis præcipuus hujus Universitatis Doctor Tapperus, (qui illis articulis condendis sine dubio interfuit) vocat *probabilem Doctorum sententiam*, & quàm ipsemet pluribus locis tradit, idque in eo opere in quo dictos articulos ex professo explicat ac contra hæreticorum objecta defendit? Quis item sibi poterit persuadere, Facultatem tamquam perniciosum dogma in hæreticis notasse sententiam illam, quam, paucis annis ante, alterum hujus Academiæ lumen Jacobus Latomus adeo perspicuè docuerat, non sine censura aliqua oppositæ sententiæ?

175 Alterum monitum Auctoris Xenii hoc est. Ex eo, inquit, quòd aliqui Auctores in quibusdam à nobis dissentiant, malè infertur, quòd nobiscum non sentiant in quæstione principali.

Resp. 1. Illos Auctores, qui asserunt absolutionem non esse nisi signum remissionis peccati factæ per prævium pœnitentis actum, vel Sacramento denegant virtutem peccata quoad culpam primò remittendi, hos, inquam, omnes perperam ab Adversariis pro se adferri, adeo manifestum est, ut tergiversationi non sit locus. Quis enim ex illis Auctoribus

bus, qui non alium agnoſcunt juſtificationis modum, quàm per actum proprium (quem neceſſariò ſtatuere debent amorem Dei ſuper omnia) quis, inquam ex illis petendum exiſtimet, quis actus ſufficiat accedente Sacramenti ad remittenda peccata virtute, quam virtutem ipſi negant, quamque nos & Adverſarii admittimus? Vide Reſponſ. ad Epiſtol. Famil. cap. 5. num. 53.

176. Reſp. 2. non parvum indicium eſſe ſententiæ non rectè fundatæ, quando etiam pauci, qui pro illa adferuntur Auctores, inter ſe diſſentiunt in ipſa ſententiæ ſubſtantia, prout faciunt Auctores, qui poſt Tridentinum oppoſitam amplexi ſunt opinionem; quod breviter oſtendo.

Navarrus, qui ſua impreſſit tempore Tridentini, recudens poſtea manuale anno 1575. fatetur ſe amicè monitum ab Adm. R. P. Vincentio Juſtiniano Ord. S. Dominici, quòd doceret ad Sacramentum non ſufficere Attritionem cognitam, & tandem poſt varia concludit: *Quidquid aliis videatur, ego non arbitror ſufficere Attritionem, qua peccator ceſſat à peccato propter ſolam pœnam inferni, quatenus pœna eſt, ſi nullus actualis vel* VIRTUALIS *amor Dei comitetur.* Ubi contentus eſt amore virtuali, qui quid ſit non explicat, nec exprimit amorem Dei *ſuper omnia.*

Similiter Vivaldus dicit in Attritione ſufficere amorem virtualem: ſuam autem Attritionem per hoc diſtinguit à Contritione, quòd amor in Attritione non ſit ita *efficax & ſuper omnia.*

Conſtantius Sarnanus circa annum 1592. non aliud dicit de Attritione, quàm quòd à Contritione differat penes intenſionem & remiſſionem.

Ludovicus Carbo, qui ſcripſit ante annum 1600. cenſet cum Sacramento non ſufficere Attritionem, ſed requirit Contritionem. Idem tenet Eſtius, quem priùs ſecutus fuerat Sylvius, ſed in quarta editione noſtram amplexus eſt ſententiam.

177. Exim. P. Lupus fatetur ſufficere Attritionem, hanc tamen vult complecti actualem Dei propter ſe amorem, qui efficax ſit & ſuper omnia, in quo non parum ab Auctoribus hactenus relatis diſcrepat.

Exim. P. Farvacques, licet, quantum memini, nullibi clarè exprimat, cum Sacramento requiri amorem Dei *ſuper omnia*, talem tamen quin exigat, non videtur poſſe dubitari: Cum enim fateatur, actum cum Sacramento proximè ſufficientem debere poſitivè excludere omnem voluntatem peccandi, aſſeratque timorem gehennæ nullum peccatum poſitivè excludere (niſi particulare vitium ſibi oppoſitum, quod cujuſvis virtutis actui competit) neceſſe eſt admittat, eam excluſionem haberi

debere per actum amoris Dei, adeoque hunc esse debere *super omnia*: id quoque indicat dum pag. 47. & 48. ad probandum, quòd amor Dei excludat positivè voluntatem peccandi, sic loquitur: *Quolibet autem affectu Charitatis amicitia divina omnibus praefertur.* Item: *Propria & essentialis ratio affectus Charitatis, de quo agimus, sita est in eo, quòd Deum summè aestimet, & (ut minimum virtute) omnibus praeferat.*

178. Quaero jam ab his, quosnam ex scriptoribus post Tridentinum habeant hujus suae sententiae patronos, nam ex eo quòd aliqui nobis adversentur, non sequitur eos sententiae ipsorum subscribere. Quamdiu igitur non adferunt Auctores post Tridentinum, qui & negent cum Sacramento requiri Contritionem, prout haec Attritioni opponitur, & nihilominus asserant ad valorem Sacramenti requiri actualem Dei propter se & super omnia dilectionem, fateri debent, suam sententiam scriptorum post Tridentinum auctoritate esse planè destitutam.

§. 3.

Examinatur responsio ad reliqua Argumenta.

Tertium argumentum sumpseram ex verbis, quibus utitur Synodus, quae si conferantur cum verbis Lutheri, clarum fiet, quòd Synodus illum Contritionis modum tueatur ac adstruat, quem rejiciebat Lutherus; hic autem loquebatur de Attritione, quae non erat ex Charitate, sed ex solo timore poenae, ergo de eadem loquitur Tridentinum.

179. Huic argumento opponit Auctor Xenii: quòd ex illo sequeretur à Synodo approbari Attritionem naturalem, cum hanc rejiceret Lutherus. Hinc censet Tridentinum in hoc puncto sollicitum non fuisse de mente Lutheri, quòd pag. 9. & 10. Xenii probat hoc dilemmate.

Vel Tridentinum in casu de mente & sensu Lutheri, quem Catholicis attribuit, sollicitum fuit, vel non fuit. Si dixeris sollicitum fuisse, & sensum, quem Catholicis attribuit Lutherus, probasse; fatearis necesse est, Attritionem naturalem, ex sententia Synodi, sufficere cum Sacramento Poenitentiae. Si negaveris Tridentinum de mente Lutheri eo sensu, quem Catholicis tribuit, sollicitum fuisse; ergo jungamus dextras &c. Hoc dilemma adeo efficax visum fuit Auctori Xenii, ut dicat me, velim nolim, fateri debere, nihil sollicitum fuisse Tridentinum de mente & sensu Lutheri: verùm nihil ejusmodi probat hoc dilemma, ad quod

180. Resp. Tridentinum omnino sollicitum fuisse de mente & sensu Lutheri, quem Catholicis attribuit, hinc tamen perperam infertur, ergo

Synodus admisit, quòd cum Sacramento sufficiat Attritio naturalis. Diversissima enim sunt, de mente & sensu hæretici sollicitum fuisse Concilium; & omnia, quæ dixit hæreticus, approbare. Cum enim hæreticis familiare sit, vera falsis miscere, Synodus de eorum dictis & sensu sollicitam se ostendit, dum vera à falsis secernit, hæc rejiciendo, illa approbando: quòd in casu fecit Synodus. Reprehendebat Catholicos Lutherus, quòd docerent Attritionem ex metu reddere peccatorem dignum absolutione, addebatque dolorem, ex solo metu conceptum, esse actum merè naturalem, imò & peccaminosum, esse dolorem extortum & coactum, traducens Catholicos, quasi docerent actum naturalem & nullo modo bonum, esse dispositionem sufficientem ad absolutionem. Tridentinum verò quid de horum singulis sentiendum sit expressè definit: & pronuntiat, Attritionem ex metu (si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ) esse actum bonum & supernaturalem, adeoque quod hæretici falsò calumnientur Catholicos scriptores, quasi hi tradidissent Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre. Addit falsò hæreticos docere, quòd dolor ex metu sit Contritio extorta & coacta, non libera & voluntaria. Poteratne Synodus clariùs ostendere, curæ sibi fuisse ea, quæ tradit Lutherus circa Attritionem á Catholicis assertam? Tum calumnia & errore Lutheri rejectis, sententiam de sufficientia Attritionis cum Sacramento adstruit Synodus iisdem fere verbis, quibus in ea rejicienda usus fuerat Lutherus.

181. Instat: undenam constat, quod similiter calumniati non fuerint hæretici, quando Catholicis adscripserunt sententiam de Attritionis ex metu cum Sacramento sufficientia.

Resp. id constare 1. ex eo quòd Catholici docuerint illam sententiam, ut sæpe ostensum est. 2. Cum in hac materia dicat Synodus, hæreticos quoad alterum fuisse calumniatos, in altero verò falsò & erroneé sentire, ut jam ostensum est: quis non videat, si Lutherus Catholicis falsò impegisset sententiam de sufficientia Attritionis ex metu, dicturam fuisse Synodum per calumniam Catholicis adscribi illam sententiam? sicuti eorum calumniam expressè notat, quoad sufficientiam actus non boni cum Sacramento à Catholicis assertam, quod his imponebat Lutherus.

Quod hic rursus addit Auctor Xenii, doctrinam à Luthero rejectam non fuisse aliam, quàm quòd Attritio proximè disponat ad actum Contritionis, refutatum est supra num. 125.

182. Quartum argumentum petebatur ex Augustino lib. de Catechizandis rudibus cap. 17. quod deduxi Tract. de Attrit. cap. 8. §. ult.

num. 174. ubi probavi ejus verba intelligenda esse de Baptismo non tantùm valido, sed fructuoso. Cui probationi cum nihil respondeat Auctor Xenii, sed nudè asserat, Augustinum intelligendum de Baptismo valido quidem, sed non fructuoso, non est quòd huic rei immorer.

183. Quintò denique cum supponerent Adversarii, Attritionem (de qua agit Trident: sess. 14. cap. 4.) proximè disponere ad gratiam, ut ostenderem Attritionem ex metu proximè ad eamdem disponere, probavi vocem *Attritio* tum ante, tum post Tridentinum usurpatam communiter fuisse pro dolore concepto ex motivo metus aut Spei, penes quòd differebat à Contritione, cujus motivum est amor, adeoque & Synodum de Attritione in hac acceptione fuisse locutam.

At, inquit Auctor Xenii, vox Attritio habebat significationem non unam, ergo immeritò quis prætendit, illam unicam vocis *Attritio* significationem persuadere.

184. Resp. verum esse, quòd apud aliquos Auctores etiam alii actus venirent nomine Attritionis, hinc tamen malè concluseris, quòd ea vox non usurparetur communiter pro dolore concepto ex spe aut metu. Sic Tapperus tempore Tridentini scribens, licet diversas assignet Attritionis species, asserit tamen dolorem ex metu vocari *propriè* Attritionem: Ita loquitur ad art. 4. pag. 110. *Secundum genus imperfectæ displicentiæ est, quod oritur ex timore pœnarum spiritualium, vel æternarum, quæ lumine Fidei cognoscuntur, & hanc Scholastici* PROPRIE *Attritionem vocant.* Cum igitur, circa tempora Tridentini, hæc fuerit communis & propria acceptio vocis *Attritio*, quis neget Synodum, quando dixit Attritionem disponere ad gratiam, egisse de Attritione in hoc sensu? & ne ulli dubium id esse possit, addidit Synodus Attritionis, de qua agit, motivum, nempe quòd concipiatur ex metu gehennæ. Quare dum Adversarii volunt, illo loco Tridentini agi de actu, qui fit ex motivo amoris, significationem illi voci, à communi, & ipsius Tridentini sensu abhorrentem, substituunt, prout fecit hic Auctor in Quæst. Quodlib. Jam tamen in Xenio, aliam viam ingressus, fatetur dicto loco Synodum per Attritionem intelligere dolorem, qui fit ex motivo metus.

185. Antequam Xenium suum concludat P. Farvacques rursus transit ad illam quæstionem, de exclusione peccati per metum gehennæ: quæritque pag. ultimâ, cur timor pœnæ temporalis, v. g suspendii, non inferat observationem omnium mandatorum Dei, & cur etiam actum internum complacentiæ circa furtum non excludat.

Quæsito huic responsum est, & manifesta assignata disparitas Tract. de Attrit. cap. 3. Quia nempe cum actus interni non puniantur furcâ, illorum

illorum omiſſio non eſt medium neceſſarium ad evadendam pœnam, quæ efficaciter timetur, adeoque timor illius pœnæ ſolùm impedit furtum externum, & eos actus internos, quibus poſitis cognoſcitur ſecuturum furtum externum, vel ſaltem eſſe morale periculum ne ſequatur. Multò minus timor patibuli impediet fornicationem, aliaque peccata mortalia.

186. Inſtat 1. falſum eſt, quòd omiſſio cujuſcumque conſenſus interni non ſit medium neceſſarium, ad evitandum patibulum. Probat aſſ. quia ſi quis abſtineret ab omni peccaminoſo conſenſu circa furtum, numquam exteriùs furaretur, & per conſequens neque propter furtum ſuſpenderetur.

Reſp. negando aſſ. ad probationem dico, licet is, qui abſtineret ab omni conſenſu interno circa furtum tam efficaci, quàm inefficaci, numquam eſſet furaturus: hinc tamen non ſequitur, omiſſionem cujuſcumque conſenſus interni circa furtum, eſſe medium neceſſarium ad evitandam furcam.

187. Inſtat 2 ad vitandum furtum externum utile medium eſt, abſtinere ab omni omnino conſenſu circa furtum.

Reſp. tranſeat aſſ: hinc tamen non ſequitur eſſe medium neceſſarium. Volitio autem efficax non infert electionem niſi medii neceſſarii, jam autem omiſſio conſenſus inefficacis non cognoſcitur eſſe ullo modo neceſſaria ad evitandam furcam, adeoque timor hujus pœnæ non excludit illam inefficacem volitionem. Sic licet ad evitandam gravem Dei offenſam, aut gehennam utile ſit, nullum quantumcumque exiguum veniale admittere v. g. nullum minutiſſimum furtum, detractionem & ſic de reliquis: Nemo tamen dixerit, evitationem cujuſcumque etiam leviſſimi venialis, eſſe medium neceſſarium ad evitandam gravem Dei offenſam, aut pœnas gehennæ: nemo dixerit, quòd timor gehennæ, aut amor Dei propter ſe & ſuper omnia (qualem in Attritione requirit Auctor Xenii) debeat poſitivè excludere quodvis veniale etiam leviſſiſſimum. Ex quo manifeſtum fit, perperam concludere hunc Auctorem, quòd non fuerit rectè aſſignatum diſcrimen inter pœnam temporalem v. g. ſuſpendii, & æternam gehennæ.

CAP.

CAPUT VI.

Ad Epistolam dedicatoriam Xenii.

POstquam Xenium suum evulgasset P. Faryacques, Epistolam dedicatoriam ad RR. DD. Pastores postliminio adjecit. In qua precipue stabilire conatur argumenta P. Lupi petita ex Scripturis, & responsionem à me datam infirmare. Quæ hîc eâdem operâ visum est examinare.

188. In hac sua Epistola videtur Auctor Xenii non attendisse, aut sollicitus non fuisse, ad quid probandum ea Scripturæ testimonia adduxerit P. Lupus; neque enim ostendit ex illis aut illorum aliquo rite sequi hanc propositionem; ergo præparatio ad Baptismum necessaria, est Dei propter se super omnia dilectio: quæ erat propositio, quam ex illis Scripturæ locis intulerat P. Lupus. Crediderim illum vidisse, se hanc conclusionem ex dictis Scripturæ testimoniis inferre non posse; ac propterea contentum fuisse responsiones à me datas tantùm vellicare.

189. Adduxerat pro sua sententia P. Lupus illud 1. Joannis 3. *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres; qui non diligit manet in morte.*

Respondi hic agi de Charitate fraterna, prout intelligunt passim omnes, & inter illos Fromondus, imò & Estius, nullam hic faciens mentionem de amore benevolentiæ erga Deum; quidquid alibi, ubi vidit ita intento suo congruere, aliter explicet. Addidi non agi hoc loco de dilectione, quæ sit causa aut dispositio prævia ad justificationem, sed de illa quæ subsequitur, ex qua tamquam signo colligatur, verène antea facta sit justificatio. Ita cum Augustino Estius, Fromondus aliique. Qua ratione hinc quis intulerit; ergo justificationem tamquam dispositio præcedere debet amor Dei propter se & super omnia?

190. Accurrit in auxilium P. Farvacques; & admittit S. Joannem illic loqui de Charitate fraterna: *Sed*, inquit, *Charitatem fraternam intellige, quomodo explicat Augustinus, Xenii pag. 16. id est, quæ dilectionem Dei complectitur.* Addere debebat *super omnia*, ut fulciret consequentiam P. Lupi.

Resp. licet gratis darem huic auctori, quòd ibi agatur de Charitate fraterna, quæ dilectionem Dei propter se & super omnia complectitur: nihil ipsum juvabit. Nam illo gratis dato, verborum Apostoli, juxta explicationem Augustini, Estii & Fromondi, hic erit sensus: Signum, ex quo colligamus quempiam antea justificatum, est, si postea proximum & Deum super omnia diligat, sive si servet præcepta tam primæ quàm

quàm ſecundæ tabulæ. Hinc ſi poteſt, inferat legitimè Auctor Xenii: ergo amor Dei propter ſe & ſuper omnia eſt diſpoſitio neceſſariò præmittenda Baptiſmo aut Pœnitentiæ. Cæterùm ſine ullo fundamento dicitur, in verbis S. Joannis comprehendi dilectionem Dei propter ſe.

191. At, inquit Auctor Xenii pag. 16. S. Auguſtinus lib. de Fide & operibus cap. 10. ita loquitur: *Iſta duo præcepta ita ex alterutro connexa reperiuntur, ut nec dilectio Dei poſſit eſſe in homine, ſi non diligit proximum; nec dilectio proximi, ſi non diligit Deum.* Et rurſus cap. 13. *Utraque enim mutuo connexa ſunt, ſicut ante dixi: quia neque dilectio Dei poteſt eſſe in homine, qui non diligit proximum, nec dilectio proximi in eo, qui non diligit Deum. Ideo aliquando alterum ſine altero, ſive illud, ſive illud pro plena doctrina invenitur Scriptura commemorare, ut etiam hoc modo intelligatur alterum ſine altero eſſe non poſſe.*

192 Reſp. mentem Auguſtini hìc aliam non eſſe, quàm quòd nec Fides ſine operibus, nec opera ſine Fide proſint ad vitam æternam. Hæc explicatio ſine dubio iis, qui hoc Auguſtini opuſculum non legerint, videbitur paradoxa & gratis excogitata; ſed ubi ſcopum D. Auguſtini & contextum examinaverint, clarè perſpicient, hanc eſſe Auguſtini mentem. Impugnat in hoc libro D. Auguſtinus errorem aliquorum, qui cùm ſentirent ſolam Fidem etiam in maximè ſceleratis ad ſalutem ſufficere, volebant ad Baptiſmum admitti debere adulteros, injuſtos, aliiſque manifeſtis flagitiis addictos, quorum ſcelerum emendationem non tantùm non proponerent aut promitterent, ſed è contra apertè profiterentur, ſe in illis ſceleribus velle perſeverare: patent hæc ex cap. 1. illius libri de Fide & operibus, cap. 6. & alibi ſæpe. Addebant inſuper baptizandum ſolummodo inſtruendum in Fide, non autem de mutandâ in melius vitâ, & deſerendis priſtinis peccatis, ſed hanc inſtructionem adhibendam poſt ſuſceptum jam Baptiſmum: idque ne, ſi ante Baptiſmum mentio fieret de emendanda vita, abſterrerentur à Baptiſmo ſuſcipiendo; & hac ratione certò perirent; ſi autem non factâ vitæ mutatione Baptizarentur, & adhibitæ poſt Baptiſmum monitioni non acquieſcentes perſeverarent in ſceleribus, vi nihilominus Fidei & Baptiſmi ſuſcepti ſalvi fierent quaſi per ignem. Quem ſuum errorem cùm niterentur probare ex Scripturis, in quibus mentio fit ſolius Fidei & Baptiſmi, ut Act. 8. ubi Eunuchus in Fide inſtructus & credens, illico Baptiſatus eſt, & alia ſimilia: Reſpondet Auguſtinus, licet tota inſtructio, quæ ante Baptiſmum præmiſſa fuerat, à ſacro ſcriptore non ſit expreſſa, non dubitandum tamen, quin etiam de vetere homine exuendo, emendandaque vita fuerint inſtructi. Quin etiam ſuo errori ſuffragari putabant illa duo præcepta: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* &

Diliges proximum tuum sicut teipsum. ut refert cap. 10. Tum cap. 13. probat Augustinus etiam de emendanda vita monendos ante Baptisma, ex facto Joannis Baptistæ, Lucæ 3. *Vide*, inquit, *& militibus dicentibus, quid faciemus? non dixit, interim credite, & baptizamini, post audietis quid facere debeatis; Sed ante dixit, ante præmonuit, ut venturo Domino in cor eorum tamquam præcursor mundaret viam: neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum.* Adfert etiam exemplum Christi Lucæ 18. *Quid*, inquit, *ipse Dominus, ut alia omittam, cum ab eo dives ille quæreret, quid boni faceret, ut vitam æternam consequeretur, recolant quid responderit: Si vis venire, inquit, ad vitam, serva mandata. At ille, quæ? tunc Dominus commemoravit præcepta legis; Non occides, non mœchaberis & cætera.* Verùm quia hic Christus nullam fecit mentionem Fidei, sic prosequitur Augustinus: *Videant igitur non eis dictum esse ut crederet & baptizaretur, quo solo adjutorio putant isti venire hominem ad vitam: sed morum præcepta homini data, quæ utique sine Fide custodiri observarique non possunt: nec tamen, quia hic de insinuanda FIDE Dominus videtur tacuisse, præscribimus nos, atque contenti sumus, morum tantummodo præcepta dicenda hominibus ad vitam pervenire cupientibus.* Asserit hic D. Augustinus licet Christus Lucæ 18. non legatur quidquam dixisse de Fide, sed tantùm de observatione legis, non propterea solam legem tradendam iis, qui volunt salvari, sed etiam ipsam Fidem, sine qua servari non possunt mandata; sive Catechumenos docendos & Fidem & præcepta; cujus rei rationem adfert in verbis quæ nobis ex hoc loco objicit Auctor Xenii: sic enim immediatè pergit Augustinus: *Utraque enim mutuo connexa sunt, sicut ante dixi: quia neque dilectio Dei potest esse in homine, qui non diligit proximum, nec dilectio proximi in eo, qui non diligit Deum. Ideo aliquando alterum sine altero pro plena doctrina invenitur Scriptura commemorare, ut etiam hoc modo intelligatur, alterum sine altero esse non posse.* Hoc igitur cum adferat ad probandum, quòd non sola præcepta tradenda sint catechizando, sed etiam Fides; & ante dixerit aliquando poni solam Fidem, aliquando solam doctrinam præceptorum, & neutrum sine altero ad salutem sufficere: quis non videat D. Augustinum hic per dilectionem Dei intelligere Fidem (quia adversarii sic intelligebant) per dilectionem verò proximi, observationem legis, non occides, non mœchaberis &c. Quod adhuc evidentiùs patet ex verbis sequentibus, ubi rationem reddens, cur dilectio proximi non possit esse in homine sine dilectione Dei & contra, sic nullo interposito subjungit: *Quia & qui credit Deo, debet facere quod præcepit Deus, & qui propterea facit, quia præcepit Deus, necesse est ut credat Deo.* Quæ ratio ineptissimè adferretur, ad probandum, quòd actus amoris benevolentiæ erga Deum non possit esse sine actu dilectionis proximi, & contra;

& contra; ac proinde fallitur Auctor Xenii, dum verba contra nos in tali sensu profert, ubi antecedentia & sequentia manifestè ostendunt aliam esse Augustini mentem.

193. Atque hinc ulteriùs patet, non subsistere, quod dicit Auctor Xenii eadem pag. 16. illos, contra quos hoc libro disputat Augustinus, admisisse, dilectionem Dei præmitti debere Baptismo. Si enim id admittebant, requirebant sine dubio illam dilectionem, de qua eorum sententiam exponens loquitur Augustinus cap. 10. dicti libri de Fide & operibus, nempe contentam his verbis Deuter. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* Quibus verbis continetur dilectio Dei super omnia, quæ & voluntatem peccandi excludit, & sufficienter continet dilectionem proximi, ut docet Auctor Xenii dicta pag. 16. Quæro igitur ab ipso, quidnam ulteriùs requirere ab ipsis potuit Augustinus ad licitum & fructuosum Baptismum? Aut quomodo dicere illi poterant ad Baptismum & salutem sufficere solam fidem, etiam cum aperta professione perseverandi in criminibus, si ad Baptismum requirebant dilectionem Dei, quæ est vera conversio ad Deum excludens omnem omnino voluntatem peccandi? Quomodo denique S. Augustinus toto illo libro contra ipsos probat, ad Baptismum non admittendos, nisi qui statuunt vitam in melius mutare? Certum igitur est illos non aliter requisivisse illud primum præceptum, nisi prout in illo continetur, vel ex eo probatur obligatio fidei; in quo etiam sensu accepit S. Augustinus, ut vidimus num. præced.

194. Quæro interim ab Auctore Xenii, utrum existimet præcepta proximi dilectionem spectantia non servari, nisi fiant ex motivo dilectionis Dei propter se, & super omnia? (talem enim dilectionem probare debet, qui causæ P. Lupi cupit patrocinari) Quæro an, si quis proximo in extrema necessitate constituto liberaliter omnia suppeditet, id tamen non faciat ex motivo Dei propter se & super omnia dilecti, sed ex alio motivo v. g. præmii cælestis, obedientiæ erga Deum, imò & amoris Dei, sed non super omnia; quæro, inquam, an censeat talem non satisfacere illi præcepto dilectionis proximi, seu præcepto eleemosynæ? Certè Augustinus in Ps. 120. explicans illud Scripturæ: *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua*: ubi de eleemosyna agitur, sic loquitur: *Quando facis opus bonum propter vitam æternam fac.... noli facere nisi propter vitam æternam: ideo fac & securus facies.* Et serm. 19. de verbis Apost: agens de beatitudine: *Ecce*, inquit, *propter quam visionem fac bonum. Ecce propter quam visionem noli facere malum.* Eodem modo loquuntur Cyprianus, Gregorius, aliique citati Tract: de Attritione cap. 6. num. 118. & 119.

195. Certissimum igitur est, quòd præceptis secundæ tabulæ, quæ dilectionem proximi spectant, plenè satisfaciat, qui abstinet à furto, percussione, odio, aliisque quæ proximo vetamur inferre; & insuper proximo indigenti succurrit, parentes honorat, aliaque exhibet officia, quæ proximo impendere jubemur, licet volitio, qua illa vult omittere, hęc pręstare, non alium sibi habeat pręfixum finem seu motivum, quàm Spem beatitudinis à Deo consequendæ, aut aliud motivum bonum quodcumque: neque amplius requirere Estium, patebit ejus dicta consideranti.

196. Cum autem in his,quæ tum hîc,tum in Respons. ad Epist: Famil: diximus, non solùm contineatur quid negativum, sed multa etiam positiva, extra chorum saltat P. Farvacques, dum exclamat hinc sequi, omnia tandem mandata in negationes evanescere. An existimat negativum quid esse, necessaria proximo indigenti suppeditare, quando id fit ex motivo gloriæ cęlestis, positivum verò, si ex dilectione Dei propter se & super omnia? Frustra exclamat, sic etiam primum pręceptum Decalogi in negationem abire: quamquam etiam pręceptum primæ tabulæ non sola positiva, sed & multa complectatur negativa.

197. Alterum Scripturæ locum adduxerat P. Lupus ex Apostolo 1. Corinth. 13. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, Charitatem autem non habuero, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. ..... nihil sum &c.*

Hoc Apostoli testimonium in Respons. ad Epist: Famil: num. 38. exposui de Charitate habituali cum D. Thoma, Salmerone, Fromondo, aliisque. Neque huic expositioni quidquam opponit P. Farvacques, qua tamen subsistente corruit machina P. Lupi.

Deinde num. 39. & 40. dixi, Apostolum intelligendum de Charitate fraterna, quo modo explicant plures Patres & Interpretes, Chrysostomus, Gregorius, Primasius, Anselmus, Sedulius, Smaragdus, D. Thomas, Menochius, Tirinus, Stevartius, aliique.

198. Huic expositioni tot Patrum & Interpretum auctoritate munitæ reclamat Auctor Xenii, nullo interim pro sua explicatione adducto S. Patre aut Interprete. Tantùm adfert varia ex eodem capite Apostoli verba, quibus hanc explicationem conatur infirmare: quorum explicationem & solutionem videre poterit apud citatos Auctores, neque enim mei instituti hîc est, integrorum Scripturæ capitum agere interpretem. Satis mihi est, quòd verba mihi à P. Lupo objecta, juxta Patrum & Interpretum mentem intellecta, non faveant instituto P. Lupi, nec consequenti, quod ex illis intendit inferre.

199. Porrò ut argumentum P. Lupi firmaret Auctor Xenii, ostendere

dere debuerat, quòd justus (nam de hoc etiam illic loquitur Apostolus, ut dixi loco citato) omni eo temporis momento, quo Deum non diligit actualiter propter se & *super omnia*, sit æs sonans & cymbalum tinniens, nihil sit in esse gratiæ & divini consortii &c. sive quòd quovis tempore teneamur actualiter Deum propter se super omnia amare. Hoc enim necessarium est ad inferendum legitimè; ergo etiam debemus Deum super omnia amare, dum suscipimus Pœnitentiæ Sacramentum; quod est consequens P. Lupi: quod quamdiu non præstat, frustra conatur laboranti argumento succurrere. Licet enim admitteretur sensum Apostoli hoc loco esse, quòd aliquando amandus sit Deus etiam super omnia, eumque, qui id negligit, esse æs sonans, nihil esse &c. Hinc tamen non sequitur; ergo amore amicitiæ amandus est, dum suscipitur Sacramentum Pœnitentiæ.

200. Tertium testimonium deprompserat P. Lupus ex 1. Petri 3. *Quod & vos nunc similis formæ salvos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.*

Verùm cum hoc loco nequidem amoris fiat mentio, mirum est ex illis verbis à quopiam inferri potuisse; ergo in baptizando tamquam dispositio requiritur amor benevolentiæ erga Deum, & quidem super omnia.

Urget nihilominus Auctor Xenii: *Hic*, inquit, *locus efficax est, si intelligatur de interrogatione, qua ante Baptismum interrogantur Catechumeni, an Deum diligant. Uti patet ex Quæst: Quodlib: pag.* 15.

201. Resp. 1. In verbis, quæ ipse Auctor refert loco Quodlib: à se citato, tantùm dici baptizando, *si vis habere vitam æternam serva mandata*, quæ mandata illic summatim recensentur sub nomine dilectionis Dei & proximi, in quibus verbis non continetur ulla interrogatio, an Deum diligat. Quando autem Rituale Romanum monet catechumenum, quòd ad vitam æternam necessaria sit observatio mandatorum, non loquitur de his potiùs, quàm de illis mandatis, cum ad illum finem necessaria sit observatio omnium mandatorum; ergo monet ad observationem omnium tam in Decalogo, quàm in præceptis Ecclesiæ contentorum. Quæro jam ab Auctore Xenii, sitne hæc legitima consequentia: Rituale monet, ut, si velint habere vitam æternam, observent mandatum de sanctificando sabbatho, de Communione, de Confessione &c. ergo Baptismo tamquam dispositio præmitti debet sanctificatio sabbathi, Confessio, Communio &c. Si inanis est hæc consequentia, quomodo subsistit illa: monetur ut servet primum præceptum de diligendo Deo propter se, ergo dilectio talis præmitti debet Baptismo tamquam dispositio?

202. Resp. 2. cur conditionatè dicit: *si intelligatur de interrogatione?* cur non probat de ea debere intelligi? aliàs si recurrendum est ad unum *si*, poterat longè veriùs dicere, probationem ex hoc loco petitam esse efficacem, sed sub conditione, si locus ille intelligatur, prout intelligit P. Lupus; qui in illo reperit sensum, quem alii non viderunt, quia verba nihil simile indicant.

Locum Scripturæ, quem quarto loco adduxerat P. Lupus, ostendi in Respons. ad Epist. Famil: num. 46. & seqq. nullo modo favere illius intento. De hoc, cum aliàs se acturum dicat Auctor Xenii, nihil est, quod hic addendum veniat.

203. Quinto loco protulerat verba Apostoli ad Rom. 4. *Omne quod non est ex fide peccatum est.* Vult autem illorum verborum hunc esse sensum: *Quidquid non est ex fide, & Dei propter se super omnia dilectione, peccatum est.*

Respondi & rursus dico, hoc aliud non esse, quàm obtrudere sensum verborum Scripturæ, à contextu, & unanimi Interpretum consensu alienum. Huic responsioni cum nihil opponat Auctor Xenii, videtur hic causam P. Lupi deserere, neque tali explicationi suum velle adjicere calculum. Addideram juxta Theses sub Exim. D. Andrea Laurent defensas, nequidem hic loqui Apostolum de Fide Theologica: hoc, ut aliquid videatur agere, arripit Auctor Xenii, adfertque Pontificale in ordinatione Subdiaconi, ubi præfata Apostoli verba applicantur Fidei. Verùm quid hoc ad rem facit? cum in officiis Ecclesiasticis ac Ritualibus constet non rarò verba Scripturę accipi in sensu aliquo accommodatitio.

204. Venio ad Enchiridion Coloniense, quod perperam sub nomine Concilii Coloniensis citaverat P. Lupus, ejus auctoritate ad varia probanda utens.

In Resp. ad Epist. Famil. cap. 5. §. 2. ostendi, Auctorem Enchiridii, licet fuisset sanæ doctrinæ, perperam nihilominus contra nostram sententiam adferri. Addidi illum Auctorem passim consentire dogmatibus Lutheranorum, præsertim in quæstione de justificatione, ac proinde nullam esse ejus in materia, de qua agimus, auctoritatem. Quia autem Auctor Xenii videtur minùs probare, quòd Enchiridii auctoritatem imminuerim, operæ pretium erit ostendere, quàm meritò id fecerim.

205. Dictum Enchiridion præcedenti seculo relatum fuit in Catalogum librorum prohibitorum, sed cum addito, *donec expurgetur.* Postea rursus damnatum est, & prohibitum hoc Enchiridion in Decreto S. Congregat: 3. Julii anno 1623. in hoc Decreto cum non addatur, *donec expurgetur* (quod aliis quibusdam in eodem Decreto recensitis libris apponitur) censendum est, Enchiridion absolutè damnari. Decretum hoc exhibet Franciscus Capiferreus Ord. Prædic. S. Congregationis Secreta-

rius.

rius in Elencho librorum prohibitorum impresso Romæ anno 1640. Hinc patet frustra Adversarios illius Enchiridii auctoritate se tueri, aut nos oppugnare: libenter enim admittemus nos ab opere bis damnato, & Lutheri erroribus passim insperso, dissentire.

266. At, inquit Auctor Xenii, si tantopere delectabat, Enchiridii auctoritatem imminuere, sermonem convertere poterat in ejusdem secum Societatis Theologum Stephanum Dechamps, qui illud Enchiridion propugnat & iisdem objectionibus fusè respondet lib. 2. cap. 2. num. 5. Ita P. Farvacques, quem miror in citando Dechamps omisisse operis titulum & disputationem. Ut faciliùs locum inspicere possit Lector, est ille in opere de Hæresi Janseniana lib. 2. disp. 1. cap. 2.

Possem similiter reponere; si lubebat Auctori Xenii defensionem Enchiridii suscipere, poterat sermonem convertere in Libertum Fromondum hujus Academiæ Doctorem, qui petita ex Enchiridio argumenta, *poma putrida* appellavit. Cum enim Richardus pro sua sententia verba Enchiridii allegasset, sic ad illa respondet Fromondus, Theriacæ lib. 2. cap. 7 sect. 7. in fine: *Disce aliis telis Richarde, non putridis istis pomis nobiscum pugnare.*

Verum ad rem non facit, quodnam de Enchiridio fuerit judicium aut Stephani Dechamps aut Liberti Fromondi. An fortè, si ille approbasset, nesciens esse opus prohibitum, jam Enchiridion esset immune ab erroribus Lutheri? An idcircò desineret esse opus damnatum? Quorsum igitur recurrere ad hunc aut illum Auctorem, dum constat illud opus esse doctrinæ non sanæ?

267. Cæterùm scivit Dechamps, & monuit Enchiridion non esse editum aut approbatum à Concilio Coloniensi; scivit esse damnatum & jussum expurgari. Cum autem non fuerit expurgatum in materia, pro qua illud citat, contendit ea saltem quoad hoc pollere auctoritate, quam suus Auctor illi conciliat, quem Arnaldus impensè laudaverat. Anne hoc est Enchiridion absolutè propugnare? An hoc est respondere objectionibus, quas in materia de justificatione formavi contra Enchiridion, cujus integer de justificatione tractatus jussus est expungi, ut videre est in Indice expurgatorio?

Ad reliqua quæ tangit in Epist: dedicatoria alibi responsum est, & minoris momenti sunt. Nam præcipua puncta cum P. Lupo controversa in sua illa Epistola ne attingit quidem; potuisset & hæc pauca omittere, si nihil habebat solidius, quo argumenta P. Lupi ostenderet esse & manere inconcussa.

FINIS.

FACULTAS

R. P. PROVINCIALIS.

E*Go infrascriptus Societatis* JESV *Provinciæ Flandro-Belgicæ Provincialis, potestate mihi ad hoc factâ ab admodum* R. P. *nostro* JOANNE PAULO OLIVA *Præposito Generali ejusdem Societatis, concedo* Gisberto Lintsio *Typographo facultatem, typis mandandi libellum, cui titulus est:* Ad Xenium Theologicum Exim. P. Francisci Farvacques Responsio à R.P. Maximiliano Le Dent *Societatis nostræ Theologo scriptum, & à Deputatis ejusdem Societatis examinatum & approbatum. In quorum fidem has manu meâ subscriptas & officii mei sigillo munitas dedi Antverpiæ* 3. *Maii* 1668.

THOMAS DEKENS.

CENSURA.

REsponsione *P. Maximiliani Le Dent* ad Xenium Exim. *P. Francisci Farvacques* à me diligenter perlectâ & examinatâ, do licentiam imprimendi: & cum, omni animositate & acrimoniâ seclusâ, justè in defensionem prioris suæ sententiæ sit scripta, judico utiliter ad intelligentiam dilucidationemque Sacramenti Pœnitentiæ ab omnibus Christi fidelibus & Catholicis publicè & privatim legi posse. Actum Brugis 20. Junii 1668. *J. Herm. Ancheman Can. grad. & librorum Censor.*

ERRATA SIC CORRIGE.

Pag. 35. lin. 6. à fine: imprudenter l. impudenter. Pag. 37. lin. 17. tamen l. tandem. Pag 50 lin 3. à fine: ab aliis l. ob alios Pag 58. lin 22 effectum l. affectum Pag 59. lin. 5 Dicit l. Dicet. Pag. 67 lin. 3. timor l. timere. Pag. 71. lin. 22. addidisse l. addidisset.